



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini  
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

**Brucker, Johann Jakob**

**Lipsiae, 1743**

Capvt I. De Cavssis Mvtatae Tempore Emendatae Religionis Philosophiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29129**

LIBER SECVNDVS.  
DE NOVIS LABORIBVS VETEREM  
PHILOSOPHIAM REVOCANTIVM.

CAPVT I.  
DE CAVSSIS MVTATAE TEMPORE  
EMENDATAE RELIGIONIS  
PHILOSOPHIAE.

§. I.

**H**actenus diluculum vidimus, exorientis philosophiae, pristino  
nitenti restitutae praenuntium: secuta est non aurora modo,  
sed ipse solis desideratissimi ortus, philosophia tandem  
elegantiori habitu prodeunte, totamque philosophandi rationem  
emendante atque immutante. Quam mutationem; maximam par-  
tem exoptatissimae, quae ineunte seculo post reparatam salutem  
decimo sexto, suscepta est, religionis emendationi debet. Ea qua-  
lis fuerit, quibus ex causis aggressi illam, sint viri maximo animo et  
ingenti pietatis zelo instructi, quibus mediis inter infinita obstacula; et  
imprimis inter barbariei, tum literarum tum morum atque doctrinae re-  
moras saluberrimum negotium tot tantisque multorum seculorum deside-  
riis suspiriisque expetitur ad metam peruenerit, quos effectus et impedi-  
menta habuerit, et quae alia sunt, quae de maxima, quam ecclesiae fata  
vnquam viderunt, catastrophe enarrari solent, ea haec, vbi omnia alia  
agenda sunt, merito tacemus; adeundique viri docti, qui reformationis  
historiam luculentis commentariis explicuerunt. Plurimum vero ista re-  
ligionis Christianae, infinitis corruptelis per tot secula a pristina integrita-  
te deficientis, emendatio ad restituendam elegantiore philosophiam con-  
tulit. Cum enim quicquid recti verique cupiens animum ad amplecten-  
dam sanam doctrinam aduertebat, horrendae, quae ingenia haecenus vin-  
xerat, barbariei, ignorantiae, et praeiudiciorum errorumque nocti eriperetur,  
et excitaretur ad meliora audenda ruptis seruitutis, cui, licet turpissime,  
magno tamen obsequio totus Occidentis orbis parebat, vinculis, ipsa quo-  
que philosophia sub hoc iugo haecenus gemens et depressa caput iterum  
erexit, et liberiore spiritum hausit. Nempe arcto haecenus, vt in an-  
tecedente tractatione demonstratum, nexu cohaeserat philosophia et theo-  
logia; quae cum vtraque Scholastica fuisset, hominum illorum, quos in

*Status philo-  
sophiae tem-  
pore refor-  
matae reli-  
gionis muta-  
tus.*



scholarum publicarum et monasteriorum cathedris aluerat superstitio longe lateque regnans, studio ita perdita et ad placita hierarchiae ecclesiasticae attemperata fuit, ut ex communi hoc fonte, utriusque corruptio necessario profluxerit. Vbi vero communi malo medendo opitulatrices iunxerunt manus viri fortes et diuino zelo, magnisque praeterea ingenii dotibus instructi, non doctrina modo salutaris restituta atque emendata est, sed philosophia quoque laetiora fata habuit. Vbi enim tunc viri cordati rationis a Deo tributae viribus, depositoque praeiudicio auctoritatis, sectae, obsequii, et famulium capistro, liberius ratiocinantes, inque veritatis inquisitionem diligenter incumbentes, Scholasticae philosophiae origines et natales, indolem, causas, effectus, et arcanam rationem omnem perspexerunt, clareque intellexerunt, quot modis a verae philosophiae indole degenerauerit. Quod quamuis nonnulli, qui acutius viderant, haecenus ante ista tempora obseruauissent, quia tamen malo medicinam nullam parauerant, intra suspiriorum querelarumque limites perstiterunt, meliora vero dare non ausi, vel si audere quicquam conarentur, a caterua delirantium suppressi sunt, omnisque conatus in herba, quod aiunt, suffocatus est. Ast ubi diuina prouidentia humani generis miserta, caliginem ab oculis deterfit, et, ut attollerent ad lumina clariora capita, homines excitauit, magnis ausibus pseudo-philosophiae huic se opposuit, quicquid sapere suaque ratione uti sibi constituit. Ita vero factum est, ut non inter illos modo, qui ob emendatam veritatem Christianam et derelictos errores, ex ecclesiae, cui haecenus adhaeserant, gremio eiectione secessum facere coacti sunt, melioris philosophiae restituendae cura summa enasceretur; sed illi quoque quos vel numerum auctoritas, vel commodorum utilitas, vel sacramenti, quo deuincti partibus suis erant, religio, vel praeiudiciorum vis in veteri via detinuit, cogerentur, de emendanda philosophia cogitare, et laetius philosophantibus restituere seculum. Inter quae exoptata tamen philosophiae sidera nebulas multis in locis durasse, et exorientem lucem impediuisse dolendum est. Quamuis enim Scholasticae philosophiae nuditas omnisque turpitudine tot naeuis deformis, tot naeniis conspicua amplissime pateret, adeo tamen, ea arcto cohaesit cum hierarchiae ecclesiasticae commodis vinculo, ut, quorum intererat illa salua factaque conseruari, huic nuntium mittere nec possent, nec auderent; immo cogerentur, deformitatem huius pseudo-philosophiae nouis tricis augere, et ita suo quoque stercore, Augiae, quod alii purgabant, stabulum deformare magis et polluere. Donec tandem ea nobis illuxere, quae diuina benignitas est, tempora, quibus pudendus ille intellectus humani abortus ab omnibus, qui candide seuerique philosophari cupiebant, nugarique dedidicerant reiectus et exsibilatus est, indignantibus et ingemiscensibus bonorum omnium mentibus pristinae maiorum nostrorum infelicitati, quod tamdiu in hoc coeno haerere, et ad meliores reuerti semitas vel noluerint, vel nequiuert. Ex quo breui



breui nouae scenae conspectu Lector intelligit, quas singulares prorsus summiq; momenti mutationes philosophia Seculo XVI et XVII ad haec nostra tempora passa sit, et quam prolixa tractatio se nobis offerat, multiplicem philosophiae faciem, et mirabiles vicissitudines enarratura. Quae tamen philosophiae fata priusquam exponamus, de causis mutatae per doctrinae Christianae emendationem philosophiae prius agendum est, ut quibus potissimum mediis pristinus illi honor redierit intelligi queat.

§ II. In causas autem emendatae per religionis reformationem philosophiae inquisitionis, ad ea respiciendum est, quae in *antecedenti capite* de reuocatis literis restitutoque inter Italos honestae disciplinae honore diximus, rationesque expendendae, quibus demonstrauius, elegantioris literaturae studium ad restituendum pristinum philosophiae decus plurimum contulisse. Eo enim tempore linguarum studium resuscitatum, et tum eloquentia suo quem apud veteres habuit, loco reddita est, tum ars quoque critica, per tot haecenus secula sepulta, reuixit, et ita ingeniis media suppeditata sunt, quibus, cum propriis in philosophando luminibus uti non possent, veteres tamen philosophos Graecos legere et intelligere possent. Ita vero factum, ut qui prius caligauerant, oculi, sero licet, at tempestiue tamen, cordatioribus aperirentur, ut squalorem animorum, situmque qui ingenia obduxerat, perspicere, et odio habere inciperent, manibus palpantes, hanc ingeniorum omnisque eruditionis barbariem inter primas causas corruptae doctrinae disciplinaeque ecclesiasticae, atque regnantis superstitionis errorumque late vagantium referendam; huicque paupertati, quae plerorumque mentes premebat, magna ex parte adscribendum esse, quod in capite et membris ecclesiae ingenti reformatione opus sit. Ita dum ecclesiae emendationem anxie anhelabant viri recti sensus et pectoris, scientiarum quoque atque imprimis philosophiae restitutionem atque repurgationem a tot, quae illam occupauerant, fordibus, enixe exoptarunt, eripique se barbariei late regnanti summis in votis habuerunt. Ita assatim huius rei documenta in antecedentibus attulimus, et virorum doctorum quibus candidius pectus et ingenium emendatum obtigerat, desideria exposuimus, ut actum agere, dictaque repetere opus haud sit. Qua in resicet Italia prima desipere desierit, nostra tamen Germania, nec focors in illo veterno, qui maiores suos prefferat, iacere perrexit, nec, ut in Italia factum, seruire tantae superstitioni, licet noua exorirentur lumina, potuit, sed ubi primum cultiora ingenia literarum redeuntium nitorem intelligere coepissent, earumque semina in scholis Italarum concepissent, domum reuocata, damnare barbariem, philosophiam et disciplinam honestam quamcunque commendare, viros doctos excitare, ignorantiam false ridere, et quae rempublicam Christianam et literariam corruptio occupauerit, ac quam fortem medicinam pestilens malum requirat, ostendere magno animo aggressi sunt. Sufficit neque locus et

*Causae mutatae per religionis emendationem philosophiae.*

*Germania de barbaria pelenda seris cogitans.*

paginae



paginae angustia, nec instituti modus et ratio, ut testium nube dicta corroboraremus; nemo vero in patriae nostrae historia ita hospes est, ut haec ignoret omnia. Nos ad unum testem minime suspectum, nec religionis dissidio, quod paulo post obtinuit, et in partes ire viros doctos coegit, occupatum, prouocamus, Bernardum Adelman, nobilem ex Adelmansfelden, postea canonicum Augustanum, qui Eccium grauem aduersarium expertus est<sup>a</sup>, qui in *epistola ad Ioannem Reuchlinum Phorcensem Aurelia VI Non. Oct.* anno salutis MCCCCLXXXIII data<sup>b</sup>, hanc patriae nostrae barbariem squaloremque ingeniorum vehementer detestatus est, et quantum melioris disciplinae et honestioris eruditionis odium obtinuerit, graphice depingit. Inter alia, ita conqueritur vir optimus: *Despicimus, immo tanquam venena abhorremus, ac aliquando (proh quantum nefas!) iisce incumbere probibemur, quae Latinis iucunda voluptuosaque, nobis vero ob nostram barbariem quantum pernecessaria utiliaque esse soleant, tu ab exemplo epistolae principis nostri quam cum summo pudore ad te mitto, mihi opprobratam, pro tua praecipue doctrina optime intelliges. Nec mihi hi, qui hanc doctrinam dealbamentum quoddam esse putant, vehementer aberrare videntur. Nam velut hi, qui tingunt, cum primum quibusdam id quod colorem recepturum sit, praepararunt, tandem postea florem superinducunt, siue purpureum, siue quemuis alium: eodem nos itidem modo, si, ut indelebilis sit apud nos probitatis scientia, cupimus, quum hisce disciplinis fuerimus imbuti, tunc caeteris operam demus, et quasi solem prius in aqua videre assuefacti ad ipsam veram lucem intuitum tandem dirigemus. - - Non tamen me praeterit, multos non philosophos, sed philopompos non magistros sacrarum literarum, verum tenebrarum, non iuris peritos, sed potius iuris perditos leguleiosque esse, qui execrantes poeticum nomen, poetas lasciuissimos ac nugis deorum gentilium refertos esse praedicant. - - Haec ad te propterea Ioannes amantiissime, verbosius quam oportuit, tanquam ad portum patronumque ac tutissimum refugium receptaculumque literatissimorum hominum exaravi, ut viris studiosis liberaliumque artium cupidis subuenires, dignitati, gloriae, laudi, utilitatique reipublicae consuleres, principique nostro Eberhardo humanissimo, quem audio viros doctos colere amareque summo studio, cura, opera, industria,*

a) Conf. SECKENDORF. *Histor. Lutheran.* L. I §. 69. p. 99.

b) Inter epistolas CII. virorum ad Reuchlinum datas p. m. 13 seqq.

c) Dibimus epistolam hanc integram, quia breuis est, luculentum vero exemplum exhibet, turpissimae barbariei, quae in Germania regnauit, collectio vero ista epistolarum ad Reuchlinum raro occurrit. Scripta est ab vxore comitis Eberhardi senioris ad cardinalem Mantuanum: *Reuerendissime in Christo pater ac Domine, domine frater mi singularissime, humili recommendatione paratque semper obsequendi praemissa affectione, a N. famulo meo fidelissimo*

*percepi, quomodo frater ipse nomine N. negotia aliqua erga sanctissimum expedire habeat, ut D. V. ab ipso latius intelligere habet, et propterea me supplicauit, eum erga D. V. promotum habendo. Cum autem tempore vitae suae mihi et legitimo meo suis seruitiis semper diligentiam summam erga nos exercuit. Ea de causa D. V. intime implorando eique fratri N. in suis factis erga sanctissimum subuenire velitis. In hoc rem gratissimam D. V. faciet, quem Christus foeliciter et longeuo conferuet. Datum oppido meo Gruningen, secunda feria post Bartholomaei anno etc. LXXX quarto Barbara filia et seruitrix vestra.*



ria denique persuaderes, neminem unquam ad veram cognitionem rerum peruenire posse, nisi in primis hisce rudimentis (vt ipsi aiunt) vacauerit. Neque vero hoc vnus hominis desiderium fuit, nec adeo a sensu humanitatis alieni fuisse credendi sunt Germani nostri, vt non integra natio hanc corruptionem deplorauerit, et ad eiiciendam ex ecclesia barbariem et literarum decus cultumque eruditionis reuocandum, fratribusque ignorantiae obicem tandem aliquando ponendum omnes excitauerit. Et diffidendum quidem non est, cum honestior disciplina omnis Germania extorris esset, non perspexisse viros cetera acutos, rectos et cordatos, quibus potissimum remediis vtendum sit. Vetera tamen nationis suae consilia, duce magno principe Carolo M. olim contra barbariem adhibita, reuocanda esse statuentes, id imprimis vrgebant, in conferendis canonicatum stipendiis eo respiciendum esse, vt adefsent et Scholasticorum muneri praeficerentur, viri docti sacrarum literarum, philosophiae, et artium liberalium periti, quorum studio iuuentus barbariei eripi, et ista a Germano nomine ignominia detergi posset. Testes huius rei Germanis nostris nunquam non gloriosae sunt grauamina a natione Germanica multoties edita <sup>d</sup>, quae hoc loco adducere omnia institutum non patitur. Dabimus exempla pauca, vt constet, quae Germanis ea de re animus infederit, Inter *Auisamenta Constantientia*, siue grauamina Germanorum in concilio Constantiensi *capitulum VII* totum in hoc argumento vertitur, rogantque, vt, *quia ecclesia Dei maxime indiget viris literatis et in scientia eruditis, statuatur, vt in singulis collegiatis ecclesiis, quae praebendas maiores habent, quarta pars canonicatum et praebendarum, pro doctoribus, licentiatis aut in medicina doctoribus, magistris in artibus aut baccalareis reseruetur. Immo si desint idonei, vt tunc liceat collatoribus ordinariis dicta beneficia vacantia aliis personis idoneis etiam non graduatis ista vice conferre* <sup>e</sup>. Similia occurrunt in *Auisamentis Friderici III*, tempore concilii Basileensis in comitiis Moguntinensibus propositis <sup>f</sup>; quin et ipsum concilium Basileense huic necessitati patriae prospiciendum esse accurate perspexit <sup>g</sup>. Inter decantata grauamina vero Maximiliano I. tradita, est etiam *remedium pro ciuitatibus imperii animarum salute* <sup>h</sup>, in quo inter alia haec leguntur: *Expediret rebus publicis et animarum saluti, si summus pontifex immutabiliter sanciret, vt in quolibet collegio duae ad minus essent praebendae gratis non subiectae, ad quas duo theologi, aut vnus theologus et alter canonista duntaxat, promoueri possent. At-*  
que

d) Consulenda elegans tractatio Ven. Iac. FRID. GEORGII de grauaminibus nationis Germanicae, et GOLDASTI collectio constitutionum imperii.

e) Conf. HERRM. VON DER HARD. Concil.

Constant. T. I. Proleg. c. 15.

f) c. 9. §. 1. 2. Conf. GEORGI p. 222.

g) Sess. XXXI. GOLDAST. l. c. p. 202.

h) Citati, LVNIG. Archiu. Imperii Part. Gen. Cont. p. 209.



que ut idonei, puta, philosophiae, canonum, et sacrae paginae docti, eo promptius subirent curas animarum, expediret, quod auctoritate apostolica, monasteria et collegia parochiis, quas sibi incorporatas tenent, sufficientia et certa emolumenta inferre cogerentur. Ex his paucis, quae ex plurimis collegimus, sole meridiano clarius patet, Germanos iudicasse, non prospici fati ecclesiae commodis posse, nisi, fecus ac hactenus factum erat, literae iuuarentur, et philosophiam artesque liberales edocti illis muneribus praeficerentur, quae alere honesto reditu eos possent: barbariemque et imprimis philosophiae artiumque liberalium ignorantiam inter vitia sui temporis esse referenda, quae emendatione pontificis maximi omnino opus haberent. Et diu quidem preces hae frustraneae fuerunt, et intra desideriorum limites res omnis perstitit. Quod tamen, fati invidentibus, toti nationi nondum licuit, priuati suo modo tentare, et ad meliorem eruditionis et philosophiae lumen adspirare coeperunt. Quod cum in patria spissis ignorantiae tenebris obsessa nullo in loco splenderet, ad Italiam conuersi, ubi luculenta iam literarum aurora illuxerat, in illis scholis et meliorem literaturam discere, et philosophiae, non horridae illius et spinosae, sed comitioris et iucundioris mysteria, pernoscere conati sunt: ibique haustis disciplinae honestae rudimentis domum reduces spargere eruditionis semina, iuuentutemque studiosam bonis literis immergere, maxima industria sunt connifi. Non repetemus, quae de Rodolphi Agricolae ea in re industria diximus, nec quae infra de Ioannis Reuchlini studio, primo quidem Aristotelicam, deinde Pythagoreo-Platoniam philosophiam excitandi dicenda sunt, hoc loco tangemus: vnum monemus, infudasse complures viros doctos huic operae, ut pulsas barbariei tenebris, literarum decus reduceretur, nec ignota sunt, quae circa finem seculi XV et initia seculi XVI inclaruerunt nomina Adolphi Occonis I, Medici episcopi Augustani, Nicolai Ellenbogii, prioris monasterii S. Benedicti Ottoburani, Ioannis Naucleri, professoris Tubingensis, Conradi Peutingeri, scribae reipublicae Augustanae, Henrici Bebelii, historici Tubingensis, Sebastiani Brand, Iureconsulti Argentoratensis, Beati Rhenani, eiusdem Scholae philologi, Ioannis Camerarii Dalburgii, episcopi Wormatiensis, Bilibaldi Pirckheimeri, senatoris Norimbergensis, Ioannis Cuspiniani, polyhistoris Viennensis, Ioachimi Vadiani, Medici Viennensis et postea Sangallensis, Wolfgangi Lazii, historici Viennensis, et heroum togatorum inter Germanos aliorum, qui impari licet successu viribusque Germaniae literarum decus restituere laudatissimo studio conati sunt. Quorum tamen hac de re consilia atque merita, non hoc loco, sed in historia literaria Germaniae enarranda sunt; et hic digito tantum et *ὡς ἐν παροῶν* tetigisse, sufficit.

§. III. Ita

i) Conf. de eo Io. MABILLON. Itin. Germ. p. 48.



§. III. Ita sentientibus affectisque Germanorum animis, cum, quae diu frustra ardentissimis votis expetita, et a pontifice maximo magna contentione postulata, at furdis auribus narrata fuerat, ecclesiae reformatio exiguis in Germania vsa initiis laetissimis mox incrementis amplificari et vbique dilatari coepisset, dici non potest, quot millia hominum, non ex vulgi fece, sed cuiuscunque generis, et dignitatis etiam ex doctorum, ingenii acie et eruditionis praehidiis non destitutorum numero orientem lucem admiserint, doctrinaeque puritatem ad ductum sacrorum oraculorum, postliminii iure in manus fidelium omnium traditorum, rimati sint. Ita vero in deponendis erroribus et praeiudiciis, contemnendaque, quae acerbissime haecenus animis imperauerat superstitione, eiusque fulcris, theologia et philosophia scholastica, fortissime versati, nec aulae Romanae emolumenta sibi in inquirendae veritatis via obfatae passi, philosophiae quoque emendationem cum reliqua literatura, et praecipue linguarum sanctarum studio, aggressi sunt. Quod melioris eruditionis iubar cum omnes, qui ingenio non destituebantur, et a seruili iugo collum retrahere, decorum putabant, perstringeret; aperuit illis quoque oculos, qui cum doctrinae emendationem probarent, modum tamen improbabant, et humanorum periculorum, quae ex omni parte imminebant, metu deterriti, publice detestari, quae animo oderant, non audebant, atque leuiorem medicinam desiderabant. Hi animos confirmare, laudare pietatem, detestari barbariem non erubescabant, ex coetu tamen, cui haecenus adhaeserant, eiici refugiebant, cum id repurgatae doctrinae confessoribus cernerent obtingere. Alia itaque via incedendum rati, cum intelligerent, Scholasticam theologiam et philosophiam fontem esse tanti mali, in hac explodenda eiiciendaque industriam posuerunt suam, et sic ipsi quoque ad promouendos emendationis philosophiae gradus plurimum contulerunt. Tales fuisse Erasmmum Roterodamum, Ioannem Ludouicum Viuem, Iacobum Fabrum Stapulensem, Marium Nizolium, Beatum Rhenanum<sup>k</sup>, aliosque literaria huius temporis historia loquitur. Hi enim viri summi, quos et elegantiorum disciplinarum peritia, et linguarum doctorum cognitio, et artis criticae praestantia celeberrimos fecerat, flagellorum instar habendi sunt, quibus haec monstra ex eruditionis orbe eiicere, eorum detestabiles et perniciosos vultus demonstrare, et haec vlcera corrigere diuina prouidentia isto coepit tempore. Id vero varia ab illis ratione diuersoque factum est modo. Alii enim serio rem agentes, detestabiles vultus philosophiae barbarae et foetidum hoc Augiae stabulum ita omnium exponebant oculis, vt quanta hoc malum ingeniis dedecora adduxisset, omnes, qui attendere cupiebant, intelligerent, et haec stercorea odisse inciperent, meliora autem exoptarent. Vnde pleni sunt illorum libri inuectiuarum in corruptionem artium et disciplinarum, in

L 2

quibus

*Suscepta doctrinae Christianae emendatione philosophiae reformatio mox secuta.*

*Alii religionis reformationem publice non professi, diligentes tamen in exagrandanda philosophia Scholastica.*

<sup>k</sup>) Conf. ADAM. Vitae philos. p. m. 336. hommes sçavans T. I. p. 7. et quos laudat PORRETHANVS ad ann. 1547. TRISSIER Eloges des BLOUNT. Censur. celebr. auct. p. 595.



quibus distortam pseudo-philosophiae faciem, naeuosque turpissimos in clarissima luce ponunt, et quae inde meliori literaturae damna euenissent, in aprico collocant. Alii vero ridendam barbariem propinabant, et iucundius malo remedium adplicando satyram in subsidium vocabant, opinati, ita τὸ γελασθὸν ipsam propudiosam naturam barbariei denudaturum esse, ut eius merito ingenuos homines pudere debeat. Qua ratione imprimis magnus Erasminus in *Encomio moriae* vlcus hoc tangendum sibi esse statuit, et mordacius adhuc barbarae gentis deformitatem perstrinxere, famosarum *epistolarum* quae ab huiusmodi *obscuris viris* nomen habent, confarcinatores <sup>l</sup>, auctoresque aliarum satyrarum huius generis, quae eodem tempore personatae prodierunt <sup>m</sup>. Illae, quem locum in ciuitate Christiana habere debeant, meruerintque, hoc loco, ubi alia agenda sunt, disputari non potest; facileque intelliget Lector pius et cordatus, quod illis pretium statuendum sit, in quibus modum excefferint, vel honestatem laeferint, et quae alia illis nuper canina rabie obiecit ὁ δεινός: illud certum est, plus dolorum hanc viris istis obscuris, et philosophastris medicinam excitauisse, quam ferrum ignemque, quem ad corrigenda haec mala vlcera Scholasticomastigarum adhibuit seueritas. Hinc clamores inconditi, hinc furor et rabies, hinc calumniae et opprobriorum genus quoduis; hinc et famae et vitae insidiae, hinc prouocata Tarpeia ab arce fulmina, hinc coelum, terra mareque mixta, et ipsa tantum non Acherontis vnda concitata. Quorum omnium exempla luculenta cum erudita seculi XVI ineuntis historia suppeditet, in re nota a via diuertere et exemplis haec illustrare nolumus. Vnius Reuchlini historia, suo loco enarranda, rem in se notam affatim illustrabit, et Henrici Cornelii Agrippae fata quoque comprobabunt. Qua tamen rabie adeo non promota est barbaries, ut potius natua eius indoles isto furore indies magis detegeretur, inciperentque viri docti, et cordati, de his ineptiis abiecte contemtimque iudicare, neglectisque nugis puerilibus viris eruditis indignis meliora et pulchriorem philosophiam, laetiolemque omnis eruditionis faciem quaerere. Ex quibus larga manu datis nemo non intelligit, viros hos summos, qui flagella Scholasticorum fuerunt, quamuis in ipso philosophiae teatro partes suas, velut primi ordinis philosophi non egerint, in hac tamen scena, quae causas emendatae philosophiae exhibet, minime negligendos esse, et merito renouandam esse eorum memoriam. Quam ne praetermisisse praeter rem in hac nostra tractatione videamur; paucis et in

Scholasticomastiges.

l) Auctores de his epistolis obscurorum virorum laudat Io. Christ. Wolffius *Bibl. Hebr. P. II. p. 937. 938.* Conf. qui inaudita inter literatos acerbitate idem argumentum sibi tractandum sumisit Io. Nic. Weislingerus in Huteno delarato c. VII. p. 302 seqq.

m) De generibus ebriosorum; de fide meretricum in suos amatores, quaestio minus prin-

cipalis, de fide concubinarum in sacerdotes, quaestio accessoria etc. in quodlibeto Heidelbergensi determinata a M. Paulo Oleario Heidelbergensi. Item: Conciliabulum theologistarum aduersus Germaniae et bonarum literarum studiosos Coloniae celebratum XVI Kal. Maii, postquam Io. Hohenstrat. deiectus est ab officio prioratus et ab officio inquisitoris. Item, Dialogus: Huttenus captiuus et illustris etc.



et in compendio ea enarrabimus, quibus ad restituendam philosophiam emendandamque sapientiam humanam plurimum contulisse, eoque nomine de philosophantium coetu, atque vniuerso orbe erudito immortaliter meriti fuisse censendi sunt, Erasmus Roterodamus, Ioannes Ludouicus Viues, Iacobus Faber, atque Marius Nizolius: quos quatuoruiros in euertendo barbariei philosophicae regno potissimum fortes manus demonstrauisse constat.

§. IV. Adeo nota sunt merita in rem literariam viri maximi, DESIDERII ERASMI ROTERODAMI, vt, quis fuerit, quibus ingenii praestantissimi et eruditionis summae laboribus rempublicam eruditam adiuuerit, quid ecclesia ei debeat, quid literae, hoc loco, vbi alia agenda sunt, dicere opus haud sit. Aliam ea scenam instruxerunt, quam nos hoc loco aperimus. Curiosum autem lectorem ea fatis edocebunt, quae post alios attulit B. FABRICII " diligentia. Quamuis autem in philosophiae theatro Erasmus personam non sustinuerit, philologiae sacrae et profanae, sacrisque literis explicandis totus intentus, aliud tamen agendo melioris philosophiae sensum lectoribus propinare in scriptis suis passim ° conatus est. Hoc vero loco ideo nobis commemorandus est, quia in *Encomio moriae* ° libro incomparabili, pseudo-philosophiam scholasticam ita viuis depinxit coloribus, eiusque stultitiam, deformitatem, falsitatem ita ridendam lectori dedit, vt necessario paulo attentioribus, infausi foetus fastidium contemptusque enasci debuerit maximus. Magna vero auctoritate et eruditionis opinione inter Germanos eo tempore Erasmus florebat, cum non esset, qui eum lectionis copia et ingenii elegantia atque eruditionis praestantia vinceret. Quae eius summa celebritas effecit, vt cum honestioris disciplinae restaurator merito videretur, in hac exagitata morologia Scholastica consentientes haberet, quoscumque literarum amor et iudicii acies nobilitauerat. Qui tanto duce animum contra ignorantiae patronos fumentes, contempta incitiae rabie et persecutione strenue excutere triste iugum, et in libertatem philosophicam se vindicare fategerunt; quo pacto philosophiae restauratio praeparatis hunc in modum animis valde adiuta est. Non difficile esset, plurimis id exemplis comprobare et ostendere, quid Erasmi auctoritas ea in re valuerit, nisi instituti obstaret ratio. Merentur autem ea expendi, quae in Ioannis Sapidi, Beati Rhenani, Henrici Cornelii Agrippae aliorumque historia solent enarrari, quaeque prudenter ea de re annotauit IOANNES STURMIVS °, qui videndus. Licet autem maximas laudes ista scriptio Erasmus reportasset, tam fortem tamen medicinam pati non potuit philosophastrorum inertia, vnde graues Erasmo Scholasticomastigi inimicitiae, quas quia enar-

*Erasmi in  
pellenda pseudo-  
do - philoso-  
phia merita.*

L 3

rauit

a) In Diff. de religione Erasmi, Hamb. 1717.  
o) Vid. Adag. Sileni Alcibiadis p. 682. Scaraeaus aquilam quaerit p. 767. et colloquia Epicureus, philodoxus, pseudochei puerpera, proci et puellae, problema etc.

p) Conf. CLERICVS Bibl. Antiq. et nou. T. VII. p. 215 seqq. BAYLE Dict. T. II. art. Erasme p. 387.  
q) In vita Beati Rhenani, apud ADAM. p. 134.



rauit MELCHIOR ADAMVS <sup>r)</sup>, illum consuli a Lectore velimus. Ipse vero et canum latratus fortiter contempsit, et aliis exemplo praeire perrexit, vt longius, ac ipse in aliis occupatus, progressi, non modo vlcera haec sanare, sed et pro virili iacentem erigere philosophiam conarentur. Quod quia prae aliis praestiterunt Ludouicus Viues et Iacobus Faber, eorum porro hac quoque occasione renouabimus memoriam.

Io. Ludouicus  
Viues.

§. V. IOANNEM LVDOVICVM VIVEM Hispania genuit, Valentia edidit, Parisiensis schola educauit, et Scholasticae philosophiae, maxime dialecticae, mysteriis ita innutrit, vt et eius vitia disceret omnia, et pro iis tanquam pro aris et pro focis dimicaret, et elegantiam disciplinae persequeretur. Cum enim Antonio Nebriffensi <sup>s)</sup> auctore literarum decus inter Hispanos resurgeret, isque Salmanticae, Complutique Ximenio cardinale Maecenate vsus omnium fere scientiarum artiumque eruditarum florem resuscitasset, noster cuidam Valentino theologo contra politiore literaturam strenue Antonium impugnanti se adiunxit, et manum commodauit <sup>t)</sup>. Quia vero ingenio acri utebatur, quod natura sua non carebat veneribus, mature istum barbariei squalorem perofus, Louaniique bonas artes itemque Graece atque Latine supra vulgi captum doctus vir eruditissimus euasit, et imprimis antiquae philosophiae, eiusque auctoribus legendis atque intelligendis vtilissimam praestitit operam, et mature specimina edidit luculentissima <sup>u)</sup>. In eodem vero bonarum mentium atque artium mercatu docendi muneri praefectus, magno animo pellere barbariem, exagitare ineptos artium corruptores, emendare eruditionis sensum, et natiuam scientiarum indolem restituere, magna doctrinae et iudicii laude, nec minore felicitate conatus est. Quo in consilio valde eum confirmauit ERASMI amicitia, quocum Louanii familiariter vixit, quique de eo nondum vigesimum sextum aetatis annum egresso pronunciauit <sup>v)</sup>: *In nulla eum philosophiae parte non supra vulgum eruditum, tum in bonis literis atque etiam in dicendi scribendique facultate eo progressum esse, vt hoc seculo vix alium norit, quem ausit cum hoc committere.* Hoc quoque *ἐργολόγιον* vsus, praestantissimum commentarium in AVGVSTINI libros *de ciuitate Dei* scripsit, in quo, qualem veteris philosophiae eiusque historiae cognitionem habuerit, abunde demonstrauit. Eius operis elegantia ita Henrico VIII, Angliae regi, cui id inscripserat, placuit, vt eum in aulam accerferet, et Mariae principis, filiae vnicae, institutioni praeficeret. Cui muneri licet summa fide Viues praefuisset, tamen ob improbatum regis diuortium captiuitate, licet liberiore detentus est, aegreque elabendi rimam inuenit. In Belgium itaque secedens, Brugis sedem posuit, ibique instituta re domestica

r) In Vit. philos. p. 98.

s) De hoc restauratore scientiarum inter Hispanos vid. NIC. ANTON. T. I. Bibl. Nou. Hispan. p. 104 seq. COTOMESVS Hispan. Orient. p. 223. qui aliorum de illo iudicia recenset.

t) WHARTON. ad Caueum p. 155.

u) Nondum enim 26. annos natus, Erasmo tum in edendis PP. scriptis versanti socias iunxit manus.

v) L. XIX. ep. 101.



meftica libris fcribendis totus vacans rebus humanis anno MDXXXVII, vel vt vult THVANVS, anno MDXLI, creptus eft. Quantus in re omni literaria vir fuerit, huius loci non eft, multis exponere; dabunt quantum fatis erit, qui iudicia virorum doctorum de Viue collegerunt, THOMAS POPE-BLOVNT <sup>1</sup> TEISSIERIVS <sup>2</sup> et IOANNES FABRICIVS <sup>3</sup>. Vnum infar omnis elogii eft, quod cum Eraſmo et Budaeo inter triumuiros orbis eruditi numeratus fit, iudicandi acie illis potior habitus <sup>b</sup>. Quod licet de illo feculo tantum intelligendum fit, certum tamen eft, inter literatiſſimos fui ſeculi viros Viuem locum merito occupaffe. Quamuis autem philoſophum ſe praefrare et noua philoſophiae lumina accendere praeter paucos quosdam libros conatus haud fit, cum praeter breues quasdam tractationes, quae tomum tertium operis *de corruptis artibus et tradendis diſciplinis* occupant, et *de prima philoſophia, de explanatione eſſentiarum, de cenſura veri, de inſtrumento probabilitatis et de diſputatione*, agunt, nihil, quod ad philoſophiam proprie ſpectet, ſcripto tradiderit, non negligendus tamen in hiſtoria ſeculi XVI philoſophica eft, tum ob librum *de iniriis, ſectis et laudibus philoſophiae*, tum ob ſcripta polemica contra corruptores artium et diſciplinarum, librumque in pseudo-dialecticos. In his contra artes corruptas libris illam iudicandi vim, et philoſophiae Scholaſticae cenſuram orbi erudito probauit, quam merito in hoc viro ſtupeas, ſic vt fatendum fit, neminem eo tempore hoc vlcus vel melius tetigiſſe, vel fortius illi vulnus infixiſſe. Vbique enim regnat, philoſophiae haud proletaria cognitio, lectio in veterum philoſophorum libris probata et accurata, ſenſus philoſophiae emendatoris iuſtus, et maxima in detegendis naeuis philoſophorum veterum, et recentiorum perſpicacia. His vero virtutibus ingenii iunxit animum fortem, erectum, praeiudiciorum hoſtem, ſuperſtitionis oſorem, et ad audenda meliora rectioraque magnis paſſibus graſſantem. Qui ſi noua et faniora dare, quam morboſa et putrida retegere, maloque detecto medicinam conuenientem afferre voluiſſet, inter maximos ſeculi fui reformatores philoſophiae referendus eſſet. Nam virtutibus illis ſatis inſtructus fuit, quae ad huiusmodi conatus ſuſcipiendos requiruntur; animo nempe magno, qui ſcriptoribus aeuo conſecratis auſus eſt repugnare, et imprimis Ariſtoteli, ſinceritate haud vulgari, qua nec auctor vnquam ſectae, nec ſuaſor eſſe cupiebat; perſpicuitate et elegancia verborum, quibus aperte ac dilucide cuncta potuit exponere, vt percipi facile ac teneri poſſent <sup>c</sup>. Sed ſufficiebat viro eruditiſſimo, nuditatem philoſophiae receptae demonſtrare, errores retegere, et ad meliora ablegare iuuenum ingenia: quem laborem parum quidem feliciter ceſſiſſe Viui iudicat RAPINVS,

y) Cenſ. celebr. auct. p. 519.

z) Eloges des hommes ſauans T. I. p. 266.

a) Hiſt. Biblioth. ſuae T. I. p. 228, add. MARGI Eponymolog. Crit. p. 799.

b) Vid. NIC. ANT. l. c. p. 155 ſeq. TEISS. l. c.

c) Vid. praef. libr. de corruptis artibus, cuius editione Lugduni 1551. 8. manu Hier. Wolfii et Dau. Hoefchelii in margine notata inter regulas noſtras vtiſſimur.



PINVS <sup>d</sup>, verum vix audiendus est, cum lectio librorum istorum, quos de corruptis artibus et tradendis disciplinis scripsit, partis studio non occupatum accurate doceat, plurimum detexisse Viuem illud monstrum horrendum et ingens, quod damnari totum vix Rapinus ob rationes sectae suae pati poterat. Cuius ingentis contra pseudo-philosophiam zeli specimina, quia in antecedenti Tomo complura attulimus, his prolixius hac vice inhaerere opus haud est. Subscribimus nos haud inuiti iudicio MORHOFFII <sup>e</sup>, qui hos Viuis libros vocat aureolos, plenos bonae frugis, ac diligentissime omnibus doctis legendos.

*Iacobus Faber.*

§. VI. Tertius, qui in pellenda barbarie Scholaistica, virtutem heroicam ostendit IACOBVS FABER STAPVLENSIS fuit. Tenuibus is parentibus natus Stapulis, qui pagus est maritimus in Picardia, quod ipsi in fortunae muneribus denegauerat, a natura ingenii dotibus animique diuitiis abunde accepit. Studiorum cursum Parisiis eo tempore absoluit, quo nox illa Cimberia, quam vbique spargebat philosophia et theologia Scholaistica mentes deprimebat <sup>f</sup>. Italorum autem exemplo, qui ad literas politiores magnis conatibus adspirabant, nec infelici in ea re successu utebantur, excitatus, cum praeter iudicandi aciem ingenii quoque alacritatem possideret, ipse sibi ad meliora, quam quae inter Gallos tunc regnabant, audenda calcar addidit. Quo incitatus cum domi non haberet, quo immensam discendi sitim restingeret, ad literarium iter se accinxit. Testem damus SYMPHORIANVM CHAMPERIVM in epistola ad Fabrum data <sup>g</sup>, in qua scribit: *Instar item Pythagorae atque Platonis aliorumque insignium philosophorum, exterarum lustrasti regiones, atque diuersos adiisti populos, nec non ipsam per vniuersum orbem famatissimam Italiam, doctorum ingeniorum altricem laboriosissime peragrasti, tum vt eos, quos ex libris atque fama noueras, coram quoque videres, tum vt ab eis bonas literas ad tuos adueberes. Immo teste BARTHOLOMAEO CHASSANAEO <sup>h</sup> vir omnium literatorum in omni scibili perfectissimus discendi causa totam Europam et Asiam transfretauit, et partem Africae etiam transcurrit, vt viros doctos et perfectissimos literis Graecis, Latinis, Hebraicis et Chaldaeis inueniret <sup>i</sup>. His curis atque laboribus effecit, vt cum sacris tum profanis scientiis omnibus, praecipue autem philosophia optime excultum domum referret animum. Qui cum tantae doctrinae praefidiis esset instructus, coepit barbariei Scholaisticae bellum inter Gallos indicere, et purgatius philosophandi secundum Aristotelem genus, quod in Italia didicerat, introducere, iungebat etiam disciplinas mathematicas <sup>k</sup>, quas egregie ad philosophiam praeparare animum*

d) Reflexions sur la philosophie §. 7.

e) Polyhist. T. I. L. II. c. 2. §. 34. p. 337.

f) SAMMARTHAN. Elog. L. I.

g) 24. Maii 1507. Lugduni.

h) Catal. glor. mundi L. X. conf. 4. p. 204.

i) Conf. Menagiana T. III. p. 274. subdubitat tamen I. FR. BEYSLAGIUS Syllog. II. opusc. p. 263. vbi delineationem vitae Stapulensis, quam meditabatur, exhibet.

k) Vid. VOSSIVS de scient. math. c. 22. §. 9. p. 94. c. 51. §. 5. p. 313. c. 52. §. 1. 17. p. 315. 318.



num nouerat. Hinc tanta eius in Academiam Parisiensem merita, tanta literarum gloria, ut ob miram docendi dexteritatem ingeniorum faber diceretur, et illi deberetur, quicquid melioris sensus et elegantioris doctrinae tam philosophicae, quam theologicae in Gallia sensim enascebatur. De quibus eius in restorationem eruditionis meritis SAMMARTHANVS, IOVIVS<sup>1</sup> aliique videndi, quorum iudicia collegit THOMAS POPE-BLOVNTIVS<sup>m</sup>. Dabimus nos vnum WIMPHELINGII<sup>n</sup>, hominis coaeui testimonium, quia cuncta eleganter complectitur. Is ita de eo: *Iacobus Faber Stapulensis celeberrimus nostri seculi philosophus, Belgicae, quin immo totius Galliae vnicum decus. Hac nostra tempestate diuino quodam munere, in rei literariae remedium datus, omnes philosophiae partes a caliginosa quorundam sophistarum barbarie vindicauit. Et quae iam omnino Latine loqui dediderant, ac longe ab Aristotelis veterorumque vere philosophantium mente abierant, in pristinam et sermonis et doctrinae maiestatem restituit ea strictura et serie, ut nihil desit addendum, nihilque sine vitio se offerat demendum, tanta industria, tantumque in omnibus suis operibus artificium, tanta in dicendo dignitas, ut cum philosophia quisque vel mediocriter doctus eloquentiam, quod ante non licebat, consequi vberime possit. Primus enim apud Gallos, ut Cicero apud Romanos, philosophiam rudem adhuc et impolitam cum eloquentia iunxit. Nam cum antea Parisiis peregrinaretur, ciuitate donauit. Vnde non solum philosophiae rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrantur adeptos, et ad dicendum et ad iudicandum. Est enim in dicendo sublimis, in sententiis grauis, in inuentione exquisitus, in compositione diligens et curiosus, nec suorum tantum, sed etiam alienorum operum: ad hoc siquidem vnus natus videtur, ut palaestrae literariae consulat, bonas artes instauret, et in antiquum splendorem reducat. Ea est huius viri cura, ea oblectatio et studium, eo cogitatus omnis, eo mens, eo animus dirigitur. Quod ut liberius fiat, non modo patrimonium, quod non contemnendum Stapulis habebat<sup>o</sup>, instar Demetrii suis condonauit, sed et dignitates, officia, beneficia et honorifica et opulenta abiiecit, cum Thebano Cratete ratus talia raro virtutibus cohaerere. Denique ut exiguo concludas omnia versu, Dicitur sopia secula nostra Faber. Cui splendido elogio subiungit scripta Fabri philosophica, quibus tantis in philosophiam meritis inclaruit, et quibus in dialecticos, physicos, ethicos, politicos et oeconomicos Aristotelis libros vel paraphrases scripsit, vel commentatus est. Et post haec demum labores eius theologicos recenset. His alterum non minus coaeuum BEATVM RHENANVM addimus, qui ad Capnionem<sup>p</sup> ita de eo: *Salutem D. P. Iacobus Faber**

M Stapu-

1) Ipsum se ita appellari voluisse ait IOVIVS in Elog. cap. 121. m) pag. 521. seq. n) c. 15. p. 236.

Hist. philos. Tom. IV.

o) Haec cum tenui fortuna in paterna domo, quam ei scriptores tribuunt, non cohaerent, ut multa alia, quae enodatione in Fabri historia opus habent.

p) Epist. ad Reuchlinum p. m. 52.



*Stapulensis, vir ex omni aevo incomparabilis omniumque disciplinarum vberimus fons, qui philosophiam nimio situ squalentem et suo viduatam splendore ita illustravit, ut Hermolao Barbaro et Argyropylo Byzantio praeceptoribus, quod quodam loco adnotasti, olim tuis huic longepius nitoris attulerit.* - - - *Hic Peripateticam doctrinam ita reddidit peruiam, ut neque Ammonio, neque Simplicio aut Philopono iam sit opus.* Accessit autem in Fabro praeter doctrinae elegantiam, mira in docendo perspicuitas et facilitas, qua de virtute Fabri praeter SAMMARTHANVM videndus IACOBVS VERHEYDEN <sup>q</sup>, quem ne nimii sumus, non exscribimus. Tanta autem philosophiae luce collustratus, non potuit non religionis quoque corruptionem, quam barbara Scholasticorum theologia inuexerat, perspicere, et quibus posset modis corrigere, id quod magnas ei persecutiones Sorbonae doctorum monachorumque contraxit, sic ut IOVIVS, dicat, eum in Lutheranismi suspicione fenem obiisse. Margarethae tamen Navarrae reginae et Francisci I. tutela receptus in eius aula tutum inuenit asylum, ubi quoque centenarius, ut fertur, placida analysi obiit. De quibus reliquisque vitae eius circumstantiis videndi qui res eius enarrarunt <sup>r</sup>. Scripta eius cum philosophica tum theologica enarrat FABRICIVS <sup>s</sup>, quem vide. Habuit discipulum Carolum Bouillum, de quo cum in antecedenti Tomo quaedam dixerimus, hoc loco agere superfedemus. Inter amicos autem familiarissime vsus est Henrico Cornelio Agrippa, cui cum in controuersia de D. Annae matrimonio vnico tantum suffragaretur, graues inde sibi concitauit inimicitias, quas tamen enarrare, alterius loci est <sup>t</sup>.

Marius Nizolius.

§. VII. Magno quoque animo in philosophiam Scholasticam ipsumque Aristotelem circa haec tempora insurgere coepit MARIUS NIZOLIUS, Brixellensis, acre barbariei flagellum, vindexque castioris eruditionis strenuus. Is cum Ciceronis puritatem et eloquentiam summo loco haberet, eumque in finem *Thesaurum Ciceronianum, siue apparatus linguae Latinae* <sup>u</sup> collegisset, ad ipsam quoque philosophiam hunc amorem Ciceronis transtulit, et barbaram Scholasticorum linguam perosus, cum Cicerone non loquendum modo, sed philosophandum esse statuit. Quare cum Ciceronis philosophiam, quae de officiis agit, reprehendisset COELIVS CALCAGNINVS <sup>x</sup>, et MARCVS ANTONIVS MAIORAGIVS, illi edita, *pro Cicerone defensione* respondisset, ad quam nihil regeffit Calcagninus morte praeventus, displicuissent autem Maioragio Paradoxa Ciceronis, quibus *Antiparadoxa* oppofuerat; Nizolius, qui Maioragio munus eloquentiae professoris

q) Elog. Theol. p. 164.

r) De controuersis eius, placitis theologis senio, annorum numero morteque vid. BAYLE Dict. T. II. art. le Fevre, p. 469. et Menagiana l. c. conf. DV PIN. Nouv. Bibl. T. XIII. aliique, qui historiam ecclesiasticam seculi XVI scripserunt, Add. ISKELIVS Lex. Basil. T. I. p. 16. praef. conf. quos nominat BRYSCHLAGIVS l. c.

s) Bibl. Lat. med. T. II. p. 418. seqq.

t) Conferri possunt epistolae Agrippae ad Fabrum.

u) Vid. Io. FABRICIVS Hist. biblioth. suae T. III. p. 260. et quos laudat.

x) In Disquisitionibus Bas. 1544. editis.



fefforis apud Mediolanenses inuidebat, aggredi Maioragium eam ob rem statuit, et literarium bellum excitauit, in quo exigua vtriusque fama incerta fuit victoria. De qua tamen lite, cum ad historiam eloquentiae et Latinae Linguae proprie pertineat, hoc loco agere non licet, videndus autem, qui post MORHOEIVM <sup>y</sup> et DORNIVM <sup>z</sup> eleganter rem omnem enarrauit praestantissimae eruditionis vir IO. PETRVS KOHLIVS <sup>a</sup>, quocum conferendi LEIBNIZIVS <sup>b</sup>, et KRAVSIVS <sup>c</sup>, *ὄν ἐν ἀγίοις*. In hac lite de pretio quidem, auctoritate modoque Latinitatis Ciceronianae, reliquisque castioris sermonis Romani momentis disputatum est; quia vero Cicero argumentum haud raro philosophicum tetigit, qui vero Nizolio aduerfabantur, magna veneratione Aristotelem profecuti, in eius se castris militare, aperte fatebantur, hoc pacto controuersia quoque ad philosophiam deuoluta, bellumque campis philosophicis illatum est. Magno scilicet contemptu despiciebant aduersarii Nizolium, rati, hominem grammaticum verbisque Ciceronis numerandis colligendisque folis intentum, nihil praestare posse in philosophia, quod puerile atque ieiunum haud sit. Id quod aegerrime ferens Nizolius, cum iniuria haec animum vehementer fauciaffet, vlciscendum, qua posset fieri, acerbitate statuit. Inde enatus liber est, quem anno c1o 1o LIII. edidit hoc titulo: *de veris principiis et vera ratione philosophandi contra pseudo-philosophos*, in quo quibus poterat, viribus philosophiam Scholasticam, et omnem quoque philosophandi rationem Peripateticam vehementer exagitauit, et cum veteres, tum recentiores Stagiritae sectatores acerbis modis pupugit; caussatus, inueteratam Aristotelis venerationem id modo probare, stultorum esse plena omnia, et diu durare posse stultitiam et ineptias. Promisit quoque se vera scientiarum philosophicarum principia demonstraturum confirmaturumque, errores autem hactenus receptos clarissimis rationibus explosurum esse. Nihil tamen horum, vt reuera ineptus ad huiusmodi philosophiae emendationem fuit, in ipsa tractatione praestitit, sed in eo diligentiam adhibuit omnem, vt dialecticam Scholasticam perfringeret, eiusque dicendi genus barbarum squalidumque exagitaret, terminisque horridis cultius sermonis genus substitueret, quauis vero occasione Aristotelem iugularet. Frustrataque principia naturalia, physica, mathematica, moralia noua in hoc libro quaeruntur. Vbi quoque noua sectatur, meliora non dat, sed ineptis tricis detinetur. Cuius exemplum esse potest, quod reiectis Realium partibus nouam Nominalium sectam constituit, vniuersalia contendens esse vnum totum collectium, de qua eius opinione consuli possunt, si placet, quae alibi diximus <sup>d</sup>. Mature vero liber Nizolii et euiluit, et, vt solet in huiusmodi scriptionibus euenire, disparuit; aduersariorum auctoritate et potentia partes Nizolii supprimente. Quia vero, vbi veterum, et Scholasticae

M 2

lasticae

y) Polyhist. T. I. L. I. c. 25. §. 26. p. 315.

z) Ad Ionium de S. H. P. L. II. c. 29. §. 9. p. 126.

a) In vita Maioragii, praefixa Deliciis epist.

b) Loco citando.

c) In not. ad MANVTII epistolas p. 1065.

d) Hist. doctrinae de ideis sect. II. §. 6. p. 225.



lasticae imprimis philosophiae errores tangit, veritates vtilissimas passim sparfit, ideo librum antea ignotum recudi fecit, qui tunc iuuenem adhuc agebat, illustris LEIBNIZIVS <sup>c</sup>, praemissa praefatione *de alienorum operum editione, de scopo operis, de philosophica dictione, de lapsibus Nizolii et adiecta epistola de Aristotele recentioribus reconciliabili*. Quos foetus Leibnizianos, bonae frugis, vt sunt omnia viri maximi scripta, plenos recudi nuper laudabili consilio curauit praestantissimus CHR. KORTHOLTUS <sup>f</sup>. Ex hoc itaque Nizolii conatu intelligi potest, qua ratione flagella Scholasticorum in pellendo hoc pseudo-philosophiae monstro seduli fuerint, et qua ratione viris doctis placuerit, ex quo eius deformitatem perspexerunt, illud ex felicibus philosophantium campis abigere.

*Reformatio-  
nis ecclesiae  
utilitas ad  
emendam  
philosophiam.*

§. VIII. Non infeliciter operam suam collocasse hos viros doctos, cum explodendae Scholasticae theologiae et philosophiae manus admouissent, fatendum est: nam et ipsi eius naenias tricasque detexerunt, omniumque contentui exposuerunt, et aliorum ingenia exacuerunt, vt simili ratione spectra haec ex ciuitate philosophorum pellerent, quorum exempla nonnulla in sequentibus adducemus. Quia vero inimicitias hominum potentium, et praecipue cleri, reformidabant, caute tectaque incedere in ea re coacti sunt, quae prudentia multum eorum conatus sufflaminauit. Fortiorem vero atque efficaciorum medicinam attulit, quae fauentibus diuinis auspiciis suscepta est, ecclesiae reformatio; quae tot ingeniorum praestantissimorum assensum, publica quoque confessione demonstratum meruit, vt cum viribus animoque ad iuuandam doctrinam theologiam pariter atque philosophicam essent instructissima, ad philosophiae quoque emendationem se accingerent, desertisque Scholasticorum castris, aliis sub signis militare inciperent. Qua in re philosophia cum reliquis disciplinis simile fatum habuit. Omnium enim scientiarum integritatem et pulchritudinem eo tempore, quo doctrina diuinior repurgationem passa est, rediisse, et adiuta esse reformationis negotio, disciplinarum incrementa nemo temere negauerit, qui sectae praeiudicio fauoreque vel odio partis occupatus haud est. Tot luculentis quoque id euicerunt rationibus et speciminibus viri docti <sup>e</sup>, vt qui contra dicere audeat, contra solem loqui censendus est. Mirum itaque non est, cum philosophia cum reliquis scientiis sororio cohaereat vinculo, eam quoque reformationis beneficio fuisse insigniter promotam, et exempla logicae <sup>b</sup>, physicae <sup>i</sup> et ethicae <sup>k</sup>, ex diuino hoc beneficio egregie auctae produxisse virorum eruditorum, qui in hoc campo versati sunt industriam; quorum tamen hoc loco vestigia

e) 1670. 4. f) Epist. Leibniz. T. II. p. 63. sq.  
g) Videndi, quos laudat FABRICIUS Centifol. Lutheran. P. I. p. 368. seqq. P. II. p. 791. sqq.

h) Vid. DAN. REMINGERVS et post hunc SEB. EDZARDI pec. diff. quantum reformatio Lutheri logicae profuerit. Hamb. 1717.

i) Vid. B. I. FR. WUCHERER. diff. de incrementis physices a reformationis tempore. Ien. 1717.

k) Vid. B. IO. IAC. LEHMANNVS Progr. de utilitate quam morali disciplinae reformatio Lutheri attulit ib.



gia legere breuitatis studium, et infinita dicendorum copia impedit <sup>1</sup>. Causae vero eius rei facile intelligi perspicique possunt ab illis, qui sine praeiudicio in hoc argumento versari vel possunt, vel volunt. Nempe viros quos acutissimum ingenium, iudicii vis summa, et eruditio haud vulgaris nobilitauerat, in partes pertraxerat suas suscepta religionis emendatio. Hi cum istis viribus essent instructi, non modo ecclesiae corruptionem videbant, quam tot seculorum suspiria et lachrymae toties iam detexerant; sed et causas perspiciebant fontesque, ex quibus pestis illa tanto Christianae ciuitatis malo in ecclesiam promanauerat. Inter has mali intolerabilis scaturigines pseudo-philosophiam Scholasticam esse, quae vbique in monasteriis, in academiis studiisque generalibus, quae vocant, inque scholis reliquis regnabat, manibus palpabant, et quae inde superstitione incrementa firmamentaque accepisset, quae errorum monstra hac parente essent edita, probe cernebant. Recte vero intelligebant viri summi et prudentissimi, cura quadam palliatua malo huic medicinam parari non posse, et ipsas origines tollendas causasque morbi praecedendas esse, neque huic loto capita tantum demetenda esse, sed radices euellendas, et meliora suppeditanda. His consiliis excitati Scholasticam philosophiam et theologiam magno animo aggressi, eius falsitatem, et corruptam faciem, innumeraque, quae in bonas artes ipsasque sacras disciplinas inde profluxerunt damna ostendebant, et quam pueriliter inepteque, quantoque intellectus humani ipsiusque rei diuinae detrimento illa imperium obtineret, exponebant; iuuentutem autem, quosque sobrie philosophari intererat, serio hortabantur, vt relicta hac perfida magistra, sapere, et ex melioribus fontibus prudentiae naturalis et ciuilibus omnisque sapientiae praecepta haurire conarentur. In hoc cardine voluendo magna pars industriae laudatissimorum virorum versabatur, idque plerique vrgebant, qui, vt emendaretur intellectus humanus, optabant, et ad eam rem conferebant, quantum poterant. In hoc vero negotio arduo et difficili summique momenti maximum virum Martinum Lutherum principem manus auxiliatrices admouisse, notius est, quam vt dici prolixè debeat, et ipsorum aduersariorum eius testimonio constat. Qui cum plurimum ad hanc rem contulerit, dignus est, cuius in philosophiae emendationem merita hoc loco paulo prolixius enarrentur.

§. IX. Non imparatum fuisse MARTINVM LVTHERVVM a philosophiae Scholasticae cognitione, arteque illa tota, quae eo tempore, quo is disciplinarum praeceptis in iuuentute imbutus est, obtinuit, vitae eius abunde testatur historia, et nemo dignior fide testis est, PHILIPPO MELANCHTHONI, qui breuem vitae eius enarrationem <sup>m</sup> concinnavit. Hoc auctore nouimus, Lutherum in Schola Isenacensi quadrien-

*Martini Lutheri merita in philosophiae emendationem.*

M 3

nio

1) Conf. CHR. STOCKIUS de bonarum literarum *καλλιστοις* sub et post reformationem, ib.

m) Praefixa est T. II. Opp. Lutheri Witteberg.

Latin, et inserta quoque T. IV. Declamationum MELANCHTHONIS. Nuper vero recusa cum annotationibus doctissimi HEYMANNI Goettingae 1741. 4.



*Lutherus eruditionis et philosophiae laude non de- fraudandus.*

nio audiuisse praeceptorem (Ioannes Trebonius is fuit, pro temporis istius conditione vir doctus et sermonis Latini haud imperitus,) rectius et dexterius tradentem grammaticam, quam alibi tradebatur. Cumque et vis illi ingenii acerrima esset, et inprimis ad eloquentiam idonea, celeriter aequalibus suis praecurrisset, et verbis et copia sermonis in loquendo, et in scribendo soluta oratione, et in versibus, ceteros adolescentes, qui vna discebant, facile vicisset. Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrantem cupiditate discendi, appetiisse academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tantam vim ingenii potuisse, si doctores idoneos inuenisset, et fortassis ad lenientiam vehementiam naturae mitiora studia verae philosophiae, et cura formandae orationis profuissent. Sed incidisse Erfordiae in eius aetatis dialecticam satis spinosam, eamque, cum sagacitate ingenii praecceptionum, causas et fontes melius, quam ceteri, perspiceret, cito arripuisse. Cumque mens auida doctrinae plura et meliora requireret, legisse ipsum pleraque veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilii, Livii et aliorum. Haec legisse, non ut pueri, verba tantum excerpentes, sed ut humanae vitae doctrinam aut imagines. Quare et consilia horum scriptorum et sententias propius adspexisse, et ut erat memoria fideli et firma, pleraque ei lecta et audita in conspectu et ob oculos fuisse. Sic igitur in iuuentute eminuisse, ut toti academiae Lutheri ingenium admirationi esset, isque cum natus esset annum vicefimum gradu magistrarii philosophici ornaretur. Haec ille. Habuit autem Lutherus, ut ex M. RAZENBERGII *Historia Lutheri* msc. refert illustris SECKENDORFIUS, praecceptores Erfordiae Ioannem Gryphium et Iustum Iodocum, vulgato, ut mos erat illius temporis nomine, doctorem Isenacensem dictum. Is in sui aevi philosophia adeo excellebat, ut *Summae philosophiae naturalis*, quam edidit, hoc praefixerit elogium EOBANVS HESSVS:

*Iustus Iodocus Lutheri in philosophia praceptor.*

*Garrula stelliferum mirari desinat orbem  
Fama Syracusum composuisse senem.  
Vulcani clypeos Asiam Europamque ferentes  
Afferat; inuenit fabula prisca fidem.  
Quandoquidem exiguo naturae summa libello  
Tam bene composita est, docte Iodoce, tibi.*

*Lutherus mature philosophiam Aristotelem*

Seruili vero studio Aristoteli adhaerebat Iodocus, et pro eo, more Scholasticorum, tanquam pro aris focusque pugnabat. Ex hoc vero praecceptore, qualis discipuli, qui ab eius ore pependit, philosophia fuerit, nemo non intelligit. Qui tamen cum mature oculos aperiret, videretque, quantis naevis deformis esset philosophia Aristotelico-Scholastica, anno clo lo XVI Iodoco dubitationes contra Aristotelem et Porphyrium transmisit, de quibus

n) *Histor. Lutheranismi* Libr. I. §. 8. addit. 3. pag. 20.



bus infra plura dicemus. Qua Aristotelico-Scholasticae philosophiae desertione ita irritauit Lutheri praeceptoris, licet magna ueneratione excepti, animum, ut eum Erfordiam delatum in conspectum admittere noluerit<sup>o</sup>. Qua eius indignatione non commotus Lutherus, in literis ad Iodocum anno c10 10 XIIIX exaratis eadem se in sententia perfiltere, professus est, scribens: *Vt me etiam resoluam, ego simpliciter credo, quod impossibile sit, ecclesiam reformari, nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, ut nunc habentur, eradicentur, et alia instituantur.* His Lutheri sententiis ita exasperatus est Iodoci animus, ut ad Spalatinum scriberet Lutherus, cum Iodoci mortem audiisset<sup>p</sup>: *Audiui heri, excessisse e viuis D. Iustum Iodocum Isenacensem, Erfordiae. Timeo et me ansam acceleratae suae mortis fuisse, tantum aegritudinis fuit animo eius ex meis, ut dicitur, profanitatibus et temeritatibus, quibus Scholasticam theologiam incredibiliter doluit contemni.* Verum haec postea gesta sunt, et infra tangentur. In praesentia id praecipue obseruamus, mysteria Scholasticorum omnia virum summum accurate pernouisse. Testis iterum MELANCHTHON est<sup>q</sup>, narrans, Lutherum ad Augustini religionem conuersum et huius doctoris scripta legentem non tamen prorsus reliquisse sententiariorum, Gabrielem et Cameracensem pene ad verbum memoriter recitare potuisse; diu multumque legisse scripta Occami, huius acumen antetulisse Thomae et Scoto, diligenter et Gersonem legisse, sed omnia Augustini monumenta et saepe legisse, et optime meminisse: *illam autem vim ingenii demonstrauisse, ut saepe dixerit doctor Martinus Mellerstadius, mutaturum esse vulgare doctrinae genus, quod tunc in scholis vnicum tradebatur; et hic primum dialecticam et physicam Aristotelis enarrauisse.* Addixit vero se Lutherus, ut plerique eo tempore viri docti in Germania faciebant, Nominalium partibus<sup>r</sup>, quas Occamus recoxerat, et Germanis acceptissimas fecerat, ut in praecedente Tomo dictum; maturior vero aetate et experientia doctior omnem Nominalium et Realium controuersiam contempsit et exagitaui. Ex his vero manifestum est, inepte agere, et inuidiam prodere Lutherani nominis obtrectatores, qui Scholasticorum mysteriorum et artium liberalium notitiam ei impudenter denegant. Inter quos more suo nomen professus est IACOBVS GRETSERVS, inter cuius scripta extat etiam oratio, *utrum Lutherus fuerit theologus Scholasticus?* Dedit eius verba integra P. BAYLE<sup>s</sup>, in quibus quaestionem ideo negandam esse statuit, *quod crassissimos, stupidissimos, et decumanos prorsusque asinos contra theologiam et philosophiam errores commiserit.* Quare vehementer in eum inuehitur, quod non semel testatus fuerit, omnia scholasticae theologiae mysteria sibi probe esse cognita; omnia adyta perlustrata,

telico-Scholasticam oppugnat.

o) Vid. LUTHERI epist. I. 10.

p) SECHENDORF. l. c. p. 121.

q) loc. cit.

r) Vid. quae diximus in historia philos. doctri-

nae de ideis S. II. §. 4. p. 208. et cel. HUMANVS l. c. p. 10. not. c.

s) T. III. art. Luther. not. II. p. 134. SOTVRE. Bibl. societatis Iesu p. 370. C.



omnes excusos angulos, seque, quod contra doctores Louanienses et Colonienses scripsit <sup>f)</sup>, non pessimo ingenio, nec vltima socordia versatum esse, plus duodecim annis inter sympalaestritas eorum detritum. Neo ferre potest, quod dixerit, se Occamistarum, qui eo tempore Terministae et Moderni dicebantur, placita non a limine tantum salutasse, aut primoribus labris solummodo degustasse, sed penitus imbibita tenere etc. Quae cum Melanchthon quoque asseruerit, ita explodi posse putat, vt ne principia quidem philosophica Lutherum tenuisse demonstraretur: cuius rationes inde defumit, quod statuerit: impingere philosophiam in theologiae regulas, sed ipsam vicissim in philosophiae regulas, quodque vehementer stomachetur in Parisiensem theologorum scholam, quod definiuerit, idem esse verum in philosophia et theologia: et quod dixerit: aliquid esse verum in vna parte philosophiae, quod tamen falsum sit in alia parte philosophiae. Verum quam friuola haec sint, et inepte afferantur, vel pueri intelligunt, cum quae Lutherus *κατα τι*, et imprimis de Scholastica philosophia dixerat, vel certo tantum sensu et relatione affirmauerat, nec ratiocinatione mala vsus erat, ad sensum aliquem vniuersalem factis sophistice rapiantur, ipseque Gretserus prodat, se Lutheri mentem intelligere vel non potuisse vel noluisse, recte ideo notatus Baelio, qui videndus. Sufficit, vt haec frustra, et inuidia dictante, dici ostendamus, quod probantibus superioribus, iussuque electoris Friderici Sapientis Lutherus philosophiam Scholastico-Aristotelicam in Vitebergeni academia docuerit. Cui muneri eo minus ineptum et ineruditum monachum praeficere licuit, quo feuerior erat laudatissimi principis voluntas, vt natiuum Aristotelis philosophiam iuuentus doceretur. Hanc enim felicitatem MELANCHTHON <sup>g)</sup> in sermone de corrigendis studiis adolescentibus gratulatur, quod quibus benignitate optimi ac sapientissimi principis Friderici, Ducis Saxoniae, electoris contigerit, longe saluberrimis erudiri, fontes ipsos artium ex optimis auctoribus hauriant, et natiuum ac sincerum Aristotelem doceantur. Cum autem idem quoque princeps suis sumtibus imprimi curauerit PETRI TARTARETI in doctrina Scoti super Aristotele, et Petro Hispano commentationes, (de quo commentario logico in Summulas Petri Hispani videndus HERMANNVS AB ELSWICH: hicque potissimum ex Scholasticis auctoribus scriptor professoribus Vitebergenibus explicandus traditus commendatusque fuerit, necessario inde concluditur, eam in Luthero Scholasticae philosophiae cognitionem reperiisse superiores, quae ad professorem publicum sufficeret, id quod Iesuitae sophismata satis euertit.

Lutherus  
Scholasticam  
philosophiam  
relicis et da-  
mnat.

§. X. Non tamen tanti sibi constitisse philosophiae Scholasticae notitiam, omnemque illam, quae huic innitebatur, eruditionem vir magnus credebat, vt non meliora edoctus, eiusque morologiae vanitatem et stultitiam

f) In Responf. ad articulos a Louan. et Colon. theologis damnatos T. II. Opp. Lat. Witteb.

g) Declamat. T. I. p. 496. t) De fortuna Aristotelis in Academiis Protestantium §. 8. p. 16.



titiam perspiciens sponte non abiicere modo, sed et expellere ex scholis, et publicis scriptis oppugnare apud se constitueret. Cuius mutationis causae fuere variae. Et primo quidem dubitandum minime esse videtur, easdem rationes, quae in Italia viros doctos, politioris literaturae studio delectatos excitauerant, ad abiicienda Scholasticae philosophiae iuga, Lutero quoque, in veterum scriptis ab adolescentia versato horrorem barbariei Scholasticae iniecisse; praecipue cum Graecis et Ebraicis literis se dedere coepisset. Satis id prodit MELANCHTHON<sup>u)</sup>, pulchre obseruans, cum Lutherus in theologia discrimen legis et euangelii, promissionum legis et promissionis euangelii, philosophiae et euangelii, quod non extabat in Thoma, Scoto et similibus magno eruditorum omnium applausu ostendere coepisset; accessisse huic, quod Erasmi scriptis iam inuitata fuerint iuuentutis studia ad Latinae et Graecae linguae cognitionem, et monstrato iam dulciore genere doctrinae, multi bonis et liberis ingeniis praediti abhorreere a barbarica et sophistica doctrina monachorum inceperint. Deinde cum accurate omnia Scholasticae doctrinae mysteria et asyla perspexisset vir acerrimo iudicio praeditus, et in arcanas eius rationes facile penetrans, pestilens malum, cuius tristissimos in ecclesia effectus tot piorum lamentationibus lachrymisque haecenus deploratos probe nouerat, non inspicere non potuit. Ita vero inuictis rationibus conuincatur, Scholasticam philosophiam et fundamentum esse theologiae Scholasticae, quosque illa inuexerat, errorum omnium, et fulcrum suppeditare immensum ambitionis et potentiae, curiae Romanae, quae, velut intolerabili haecenus iugo conscientiae imperauerat, quodque tandem aliquando excutere omnes boni praeoptabant. His vero malis medendis tandem manum admouendam ratus, prauorum lolorum radices extirpandas esse recte statuit, et pellendam philosophiam Scholasticam, si illa pestis sit auerruncanda. Cumque et ratione recte uti, et sacras literas dulcioribus ex fontibus haurire coepisset, expertus erat, quam inutiles essent cauillationes sophistarum, et ad intellectum luce collustrandum, et ad voluntatem rite emendandam, nec esse vel luminis vel solatii quicquam in omnibus illis disputationibus, maximisque, quae de nihilo nascebantur, fabulis. Has vero inanes dissertationes et morologiam ferri ab hominibus piis et ingenuis viri recti sensus et integri pectoris indignabatur. Ast his potissimum armis in proelium prodire, et pro pestilentibus erroribus, qui ecclesiam occupauerant, pugnare tanquam pro aris focusque videbat curiae Romanae mancipia: his fulcris labentem moxque ruituram superstitionem sustentari, his praesidiis barbariem doctrinae morumque defendi obseruabat, adeoque ista prius armatura spolianda esse tenebrarum regna recte iudicabat<sup>v)</sup>. Cumque et vocationis iure, et animi magnitudine omnium fortissi-

u) In vita eius l. c.

v) Conf. SECKENDORF. l. c. p. 103.



fortissime praeiudiciorum turmas, quae hactenus veritatem graui onere de-  
 presserant, eiecisset, et sic illam venerationem, Scholasticae philosophiae  
 et theologiae, quam ab adolescentia in scholis et monasterio hauserat, quae-  
 que multis oculos tenebat, vt perspicere foedos vultus haud possent, ex-  
 uisset, facile fuit, ingenii natura acerrimi in id vires conferre, vt pseu-  
 do-philosophiam hanc, suis neruis spoliata omnium contemptui expo-  
 neret. Quod licet magnam illi inuidiam minabatur, eo quod emolumenta,  
 quae a Scholasticae philosophiae et theologiae imperio hauriebat cle-  
 rus monachorumque grex, arctis hos homines vinculis illi pesti mancipa-  
 uerant, excitarunt tamen virum fortem animique imperterriti exempla  
 magnorum virorum, qui in Italia barbariem aggressi, Scholasticae philo-  
 sophiae bellum indixerant. His rationibus caussisque instigata ignea vis  
 animi, qui ecclesiae emendationem forti quoque remedio opus habere  
 probe perspiciebat, non potuit non acerrime in Scholasticam philosophiam  
 insurgere, eamque telis vndeque confodere. Iniquissime id tulit cu-  
 cullatorum fratrum, virorumque obscurorum turma, quae hostem illum  
 esse philosophiae omnis, ipsiusque rationis, et ignorantiae atque enthusi-  
 asmo apertissime fauere clamabat. Fecit id sub ipsis reformationis auspiciis  
 THOMAS RHADINVS Dominicanus, qui in *oratione* <sup>w</sup> *ad princi-  
 pes et populos Germaniae*, Romae, vbi theologiam profitebatur, habita,  
 velut enorme illi crimen obiicit, *quod Aristotelicam philosophiam spreue-  
 rit, et theologiae pestem vocauerit cum summa Scholasticorum doctorum  
 iniuria, qui tamen per annos trecentos theologiae philosophiam ancillari  
 et omnem humanum intellectum in obsequium Christi captiuum facere al-  
 laborauerint*. Haec postmodum alii, etiam docti viri ex Romanensium  
 coetu repetiuerunt, vt odio in Luthero, aliquid darent <sup>x</sup>, quorum loca  
 cum adduxerit Ven. HALLEBAVERVS <sup>y</sup>, theologus hodie Ienenfis cla-  
 rissimus, ad eum Lectorem remittimus, sed et illos euoluendos esse mo-  
 nemus, qui his calumniis et opprobriis in Lutherum iactis accurate solide-  
 que responderunt, enarratos a IO. ALB. FABRICIO <sup>z</sup>. Viuo adhuc  
 Luthero eo nomine ad Thomae Rhadini obtrectationes respondit Didy-  
 mus Faentinus, vel qui sub hoc nomine latet PHILIPPVS ME-  
 LANCHTHON, peculiari oratione <sup>a</sup>, in qua inter alia ad obiectam stu-  
 diorum oppressionem, et quidem philosophiae respondet: *Non damnat  
 Lutherus eam philosophiae partem, quae mathemata, quae gemmarum,  
 plantarum et animantium naturas descripsit. Nam horum cognitionem  
 fatetur ad sacra necessariam esse, soletque in loco vti, quoties res po-  
 stulat, probat inquam illam rerum descriptionem, cuius auctores habemus*

w) Prodiit ea, cura Emseri, qui inter Lutheri  
 aduersarios agmen ducebat, Lipsiae 1520. vid.  
 SECKENDORF, l. c. L. l. f. 27. §. 70. p. 107.

x) MELCH. CANVS Theol. L. IX. c. 3. qui ta-  
 men ipse theologiam scholasticam condemnat.

RAFIN. Compar. Arist. et Platonis p. 412. FLE-  
 VRY Method. studiorum, alii.

y) In Diss. Lutherus politioris literaturae cul-  
 tor et aestimator §. 6. p. 9.

z) Centifol. Luth. P. I. p. 367. P. II. p. 791. 792.

a) T. III. Opp. p. 38 seqq.



mus apud Latinos Plinium, apud Graecos Athenaeum, addo, si vis, Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, ut poetas interim taceam. Breuiter collaudat Lutherus, quae de rerum natura fere sunt a medicis conscripta, damnat autem, si ignoras, eam philosophiae partem, quae de rerum principiis, ventorum ac pluiarum causis prodigiosas nugas comminiscitur, adeoque quicquid id est, quod Aristoteles vocat *physica ἀπορίματα*, καὶ τὰ μεταφυσικά damnat, quicquid de moribus a philosophis proditum est. Idem in sequentibus de ea philosophiae parte, quae naturam transcendit, et de Deo praecipit differens, affirmat, ita ut planum faciat, Lutherum proprie Scholasticam philosophiam impetiisse: De iis, quae Deo tribuuntur ab hominibus, de unitate, de intellectu, de voluntate, de simplicitate differunt metaphysici, quos vocant, quam partem theologia Scholastica sibi totam vindicat, in qua regnare sibi videtur. Hinc natae sunt factiones illae Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, velut ex chao δημιουργημένω. Hic theologorum vulgus studia in contraria scinditur, dum hic rem rationabilem, ille realitates, breuiter dum suum quisque dogma asserit. Quae omnia in sequentibus graui offensa doctrinae Christianae hactenus retenta esse, nec cum sanis Christi dogmatibus consistere posse, pulchre ostendit. Ex dictis autem constat, dum Scholasticam philosophiam reiecit Lutherus, Aristotelicam quoque illum improbauisse, quam fulcrum illius vnicum esse nouerat, quamque cum doctrinae Christianae systemate non posse cohaerere, arcte vero cum erroribus philosophiae et theologiae Scholasticae connecti probe intelligebat. Valde displicebat ei Aristotelis dialectica et ethica, maxime, quod hoc duce in sacrorum mysteriorum penetralia pedem inferre, et his elementis res diuinas metiri Scholastici ausi fuerint: credebat autem philosophari nos pulchre posse sine Aristotele, quem Christo et Apostolis a Scholasticis praelatum esse aegerrime ferebat, et ista quoque ex causa Ciceronem Aristoteli praeferebat, in cuius scriptis philosophicis perspicuitatem et elegantiam regnare videbat, cum e contrario Aristotelis scripta in se difficilia et obscura Scholastica gens non intellexisset. Abiiciendam itaque Aristotelicam quoque philosophiam, cum Scholastica esse statuit, si sananda sint ecclesiae vulnera ab his hominibus inflicta. Et ex hac Lutheri de Aristotelica philosophia opinione illae prodierunt rationes dubitandi, quas contra Aristotelem et Porphyrium anno MDXVI transmisit praeceptoris suo Iodoco Ilfenacensi supra memorauimus. Commendauerat eas peculiari epistola <sup>b</sup> Ioanni Langio, in qua Aristotelem, Porphyrium, Sententiariorum perdita studia nostri seculi vocat; praedicique, blasphemiarum et maledictionum instar eos habituros illas esse, quibus decretum, non quinquennio cum Pythagoricis, sed perpetuo et in aeternum cum mortuis silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec vnquam, saltem leui praeludio contra Aristotelem et sententi-

b) Epistol. T. I. ep. 10.



as velitari et mussitare. Addit inter alia: Nihil ita ardet animus, quam histrionem illum, qui tam vere Graeca larua ecclesiam lustrat, multis reuelare, ignominiamque eius cunctis ostendere, si otium esset. Habeo in manibus commentariolos, in primum physicorum: quibus fabulam Aristoteli denuo agere statui in meum istum Prothea, illusorem vasferimum ingeniorum, ita ut nisi caro fuisset Aristoteles, vere diabolum eum fuisse non puderet asserere. Pars crucis meae vel maxima est, quod videre cogor, fratrum optima ingenia bonis studiis nata, in istis scenis vitam agere, et operam perdere: nec cessant vniuersitates, bonos libros cremare et damnare, rursus malos dictare, immo somnare. Anno vero sequenti dissertationem Luthero praefide M. Franciscus Guntherus, Northufanus habuit, in qua haec de Aristotele pronuntiatur sententia: Tota fere Aristotelis ethica pessima est, gratiae inimica. Error est, Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinae catholicae. Error est dicere, sine Aristotele non fit theologus. Immo theologus non fit, nisi sine Aristotele. Nulla forma syllogistica tenet in terminis diuinis. Non tamen ideo sequitur, veritatem articuli trinitatis repugnare formis syllogisticis. Si forma syllogistica tenet in diuinis, articulus trinitatis erit scitus et non creditus. Breuiter totus Aristoteles ad theologiam est tenebrae ad lucem. Bonum erat ecclesiae, si theologus natus non fuisset Porphyrius cum suis vniuersalibus. Vsitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principium<sup>d</sup>. Alia huius generis loca, in quibus Lutherus grauem Aristoteli dicam scripsit, diligenter passim a viris doctis<sup>e</sup> collecta, breuitatis causa praeterimus. In his vero viri summi pronuntiatis esse nonnulla duriuscula, et imputari Aristoteli errores, quorum Scholastici magis hunc philosophum non affecti, rei agendi sunt, quam Stagirita, non diffitemur; produntque quaedam vim illam et vehementiam animi, sine qua Augiae stabulum repurgari haud poterat. Sed id quoque, si absque odio et inuidia de hac re dicendum, fatendum est, valde offendisse virum pium, et ad animi emendationem atque praeparationem, eiusque consolationem omnem philosophiam referentem, abusum Aristotelicae philosophiae, latissime in Scholastica philosophia regnantem, quae tantum abest, ut posthabitis reiectisque vel emendatis dogmatibus Peripateticis, quae cum sacra doctrina in physica, metaphysica et morali parte reconciliari non possunt, meliora tantum rectaque consuluerit, ut potius nefandos Aristotelis errores pro sacrorum dogmatum principiis admiserit: indignatumque esse ludicris et ineptis cauillationibus ex dialectica Aristotelis inter Scholasticos natis, quae scepticismum, ipsamque haud raro impietatem genuerant.

Im-

c) T. I. Ien. Lat.  
 d) Repetit ista in 28. paradoxis et 12. positionibus philosophicis contra Aristotelem Heidelbergae disputatis, l. c.  
 e) ELSWICH. L. C. HEVMANN. Act. phil. Vol.

II. p. 579. CHR. THOMASIVS Hist. sap. et stult. T. I. p. 1 et pecul. Schediasmate Germanico idiomate scripto IO. GVIL. ZIEROLDVS, Starg. 1700. 4.



Improbando itaque systema Aristotelis physiologicum, et ethicum quod male cum Christiana doctrina cohaerere nemo non, rerum gnarus, intelligit, reuera Aristotelem Scholasticum, ducemque philosophastrorum horum explodebat, reiciebatque. Clare id probant declarationes, quas Lutherus *Positionibus et declarationibus ad Heidelbergenses missis* addidit, et ex Codice Msc. bibliothecae Zittauensis vulgavit GOTTLIEB. WERENSDORFIUS V.C. f. Ibi ita vir beatus: *Hae conclusiones sunt a me ideo tractatae ac disputatae, ut ostenderem, primo, quam longe lateque ab Aristotelis sententia aberrarint omnium scholarum sophistae, ac plane sua somnia in Aristotelis non intellecti libros inuexerint. Unde et si quam maxime sensum eius teneamus (quemadmodum hic tradidi,) tamen prorsus nihil adiumenti ex ipso haberi posset non solum ad theologiam seu sacras literas, verum etiam ad ipsam naturalem philosophiam. Quid enim iuuet ad rerum cognitionem, si de materia, forma, motu, finito, tempore, nugari et cauillari queas verbis ab Aristotele conceptis et praescriptis? Et alibi<sup>f</sup> ad Georgium Spalatinum scribens, non dissimulat, ratum sibi atque certum esse, nec Thomam, nec omnes Thomistas simul, vel unum in Aristotele intellexisse capitulum. Quae omnia recte se habent, nec facile improbabat, quisquis vel Peripateticam vel Scholasticam theologiam nouerit. Ceterum, ipsius Aristotelis philosophiam, velut sapientiam quandam humanam et Graecam consideratam non prorsus contemnebat, et quam in theologia valde improbat, ethicam Aristotelis, in vita ciuili laudat, Aristoteli quoque acutissimi ingenii laudem tribuit, et eo nomine Ciceroni praefert, quamuis hunc illi prudentia praestitisse affirmet<sup>g</sup>. Quae moderatior de Aristotele sententia Lutheri adscribenda esse videtur Melanchthonis amicitiae et, qua ille regebatur, opinioni de vera Aristotelis philosophia. Ceterum verisimile admodum est, Lutherum disputationis aestu abreptum, mysticaeque theologiae, quam ei initio commendauerat Scholastica impietas amore adductum, initio quaedam duriuscula non de pseudo-philosophia tantum, quae in scholis regnabat, pronuntiasse, sed ipsi quoque philosophiae imputauisse: imprimis autem dubio carere videtur, cum Augustini placitis de seruo hominis arbitrio esset addictissimus, ideo paulo iniquiorem in philosophiam fuisse, quod hanc vires hominis naturales earumque libertatem nimium extollere crederet: quae ratio moralem quoque Aristotelis philosophiam illi inuisam reddidit<sup>h</sup>. Sed Lutherum ipsum ex Luthero explicantibus, et quae extra disputationis aleam constitutus de philosophia scripsit, considerantibus manifestum erit, virum magnum maturiori iudicio de philosophia pronuntiantem, non eius usum, sed inutiles sterilesque disputationes Scholasticorum, et pseudo-philosophiam illo tempore obtinentem reiecisse, et nugas horum philosophastrorum, quae optima tunc in-*

N 3

genia

f) In diss. de progressu emendatae per Lutherum religionis p. 20.

ff) T. I. ep. 45.

g) Vid. ad Gen. X. p. m. 131.

h) Conf. Aët. phil. Vol. II. p. 587.



genia detinuerant, et impedimenta struxerant veritatis maxima, damnauisse. Id quod vel ex vna MELANCHTHONIS oratione *contra Rhadinum*, exque loco supra adducto est manifestum, legique meretur vel ipsa tota oratio, vel excerpta ex ea a SECKENDORFIO<sup>l</sup> data, quia luculentis exemplis Melanchthon probatum dedit, corruptiones infinitas quae ex ista pseudo-philosophia exortae sunt, virum summum compulisse, vt hunc foetum adulterinum ex ecclesia eiiciendum esse contenderet. Quod reliquum est, nec philosophicum ingenium magnis iudicii excelsi et animi imperterriti viribus suffultum Luthero defuisse, nec a faniori philosophia, diuinioris veritatis testem fuisse destitutum, dudum viris doctissimis CHR. AVG. HEYMANNO<sup>k</sup> et ISAACO FROEREISENIO<sup>l</sup> obseruatum, quorum paginae illis euoluendae sunt, qui vberiora eo de argumento desiderant. Nobis enim prolixioribus esse non licet, contentis ostendisse, quid Lutherus ad pellendam Scholasticae philosophiae barbariem reuocandumque meliorem sensum reformationi doctrinae Christianae intentus contulerit. Ex quibus caussa intelligitur, cur philosophia tempore emendatae religionis mutationem passa sit.

*Melanchthon  
aduersarius  
philosophiae  
Scholasticae.*

§. XI. Eandem, quam Lutherus fouerat, opinionem MELANCHTHONEM quoque aluisse, qui tum primus fere philosophiae et humaniorum literarum restaurator erat, ex oratione *in Rhadinum* in antecedentibus adducta est manifestissimum. Et hoc disertissimo viro interprete, non sine iucunditate discimus, quae caussae viris illis magnis, qui reformandae ecclesiae opus susceperunt, fuerint, philosophiam et theologiam Scholasticam velut purgamenta quaedam ex ecclesia eiiciendi. Quamuis autem Aristoteli magis faueret, nec reiiciendum eum totum, sed in ordinem cogendum emendandumque esse statueret, et puriorem Peripateticam philosophiam reuocare in academias conaretur, vnde ei locum infra inter philosophos *γνησιος* Peripateticos assignabimus; non mutauit tamen sententiam de philosophia Scholastica, quam quacunque poterat occasione, amicis et studiosae quoque iuuentuti suggerebat. Passim huius rei exemplis scatent orationes ab eo in academia Witebergenfi pronuntiatas, vbi more suo plane et perspicue ea de re disserit. Praecipue autem legi meretur elegans atque docta oratio, quam *de studiis corrigendis*<sup>m</sup> conscripsit, et in qua multa pulcherrime de barbaro isto, quod ante illud seculum, diu vixit, aeuo edisserit, causasque luculenter exponit, qui factum sit, vt tanto ingenia philosophantia situ obducta sint, et quibus ex fontibus illa corruptio manauerit; deformes quoque vultus exponit, quibus detestabilis philosophia facta est. Inter alia vere: *Primum desertis veterum disciplinis quando audax ista commentandi et philosophandi ratio inualluit, simul Graeca contempta, mathematica deserta, sacra negligentius cul-*

l) Hist. Luther. loc. cit.

k) Loc. cit.

l) Vindiciae Lutheri, quibus eius manes a

philosophiae sanioris odio et contemptu crassaque ignorantia vindicantur. Argent. 1617. 4.

m) T. I. p. 489.



culta sunt. Quo malo quae saevior pestis esse potuit? Certe nulla vulgarior unquam fuit. - - Quantum aetatis homini datum est, nedum adolescentiam, insumunt, ut Euripos omnes, sic enim Nazianzenus vocat, Aristotelicos exhauriant, id quod nescio an unquam alicui contigerit. Subinde enim quod exhauritur, influit, felicius id quidem quam quod de Danaidum doliis ferunt. Adde quod cum se veri scientiam meditari gloriantur, plurimum operae fallaciis neccendisque dolis linguae nauent; deinde ex tot factionum diuersis opinionibus, vix vnā aut alteram, quae sibi constet, reperias. Solent enim, in omni humano dogmate falsis vera, veris falsa misceri. Ibi vero quanto agas negotio, quibus auditorem perfugis trabas, dum sententiae doctores inter se conueniant, nimirum ut candida nigris: at nil refert, cadat, an recto stet fabula talo, modo clamatum sit fortiter. - - Interim partium studiis disceditur, aluntur odia, friget humanitas, et cum a literis nihil abesse debeat longius rancore; nam communia erant Musis et Gratiis quondam sacra, horum studia, quaecunque sunt, vel sola nutrit inuidia. Similia habet in oratione de odio sophisticis<sup>n</sup>, in qua grauissimis verbis Scholasticorum fallacias, et impietatem, quam istis artibus defenderunt, describit, et quae inde ecclesiae pericula excitata sint, graphice delineat. Aliorum, qui a Lutheri fociorumque partibus steterunt, eadem de re testimonia, ne nimii simus, praetermittimus.

§. XII. Valde studium hoc profuit orbi literato, cum vbique exorientis philosophiae emendationem apertis exciperent amplexibus elegantiora ingenia. Quae licet non omnia philosophiam, data opera excolerent, relicto tamen, quod disciplinas fere omnes haecenus inquinauerat, sterquilinio, ad colendam sapientiam atque eruditionem humaniorem animum adiecerunt. Hi non quidem certam quandam sectam elegerunt, ut innumeri fecere alii, qui philosophiae nomen ab eo tempore dederant, nec eclecticum philosophandi genus secuti sunt, quod a scopo suo erat alienum, legerunt tamen ob philosophiae amorem veteres philosophos Graecos Latinosque, eorumque interpretes agere adhibita veteris literaturae luce conati sunt, hacque ratione ad promouenda philosophiae incrementa nonnihil attulerunt. Cuius exempla varia in historia literaria seculi XVI occurrunt, in hac historiae philosophicae parte non negligenda. In hac classe collocari meretur IACOBVS SADOLETVS, vir summus, et politioris eruditionis vindex haud postremus. Hic quamuis philosophum se ostendere non desideraret, cum tam Ciceronis eloquentiam imitandam sibi non sine felicitate constituisset, eius quoque exemplo monitus dicendi rationem puram castamque ad philosophiam transtulit, et de laudibus philosophiae pulchre commentatus est. Qui liber adeo placuit Petro Bembo Cardinali, ut ad Polum itidem Cardinalem scriberet °: Equidem ab illis Augusti temporibus, quae profecto ma-

Promota hac ratione studiorum elegantiorum cultura, et interpretatio veteris philosophiae.

Exempla eius.

Jacobus Sadoletus.

xime

n) l. c. p. 578. o) Apud POPK-BLOVN T. p. 573. conf. TEISSIER. T. I. p. 29.



Hieronymus  
Fracastorius.

xime omnium summis ingeniis et scriptoribus praestantibus claruerunt, nullum legi librum scriptum, ut mihi quidem videtur, appositius, splendidius, nullum melius, nullum Ciceroniano mori, stilo, facundiae denique vicinius. Idque sine dubio debuit vir illustris amicitiae, quam cum Erasmo et Melanchthone alebat, quos cum assertores nosset literarum, earumque elegantiam ad philosophiam cerneret traducere, laudabili consilio secutus est. Iungendi his Patauinus Medicus HIERONYMVS FRACASTORIVS, et Germanorum Plinius GEORGIVS AGRICOLA. Vterque enim cum totam fere aetatem in indaganda rerum natura consumfisset, literarum decus ad philosophiam iuxta veterum mentem, licet nulli sectae addictus transferre studuit. Et ille quidem teste THVANO<sup>p</sup>, cui succinunt eruditorum plerique, ad exactam philosophiae et mathematicarum artium ac praecipue astronomiae cognitionem summum iudicium et admirabile ingenium attulit: quo multa ab antiquis aut ignorata aut secus accepta adinuenit, et explicauit. Hic autem Aristotelis atque Plinii exempla secutus rerum naturalium historiam tanta eruditione et ingenii solertia persecutus est, ut non veteres modo aequasse, sed et accuratatione superauisse iudicatus sit, et praestantissimi philosophi nomen meruerit<sup>q</sup>. Ex Protestantium coetibus his adiungimus duumuiros praestantissimos IOACHIMVM CAMERARIVM, et SIMONEM GRYNAEVM, eo quod veterum philosophorum interpretationi insudando ad emendandam philosophiam plurimum contulerunt. Et Camerarius quidem, vir inter elegantioris literaturae, et praecipue veteris eruditionis, restauratores apud Germanos, vere summus, Petri Mosellani institutione vsus, Melanchthonis et Erasmi amicitia ita gauisus est, ut quid Graecae, quid Latinae valerent literae non solum intelligeret, sed alios quoque accurate doceret<sup>r</sup>. His vero raram isto tempore iunxit philosophiae veteris, et imprimis Graecae, cognitionem, quam cum erudite cum arte critica sociasset, dici non potest, quanta lumina illi hoc pacto accenderit. Testantur id edita a Camerario scripta veterum Graecorum, quarum editionum catalogum exhibet praestantissimus FABRICIVS<sup>s</sup>. Inter haec veterum scripta a Camerario edita, leguntur etiam ARCHYTAE liber *de decem praedicamentis*, et explicationes, tum librorum duorum NICOMACHI GERASENI *de theologia arithmetica*; tum *ethicorum Aristotelis*. Inter quas eius commentationes haec ita placuit GABRIELI NAVDAEO<sup>t</sup>, ut post Montecatinum et Victorium, tertium inter commentatores in ethica Aristotelis locum Camerario tribueret. Quae veteris philosophiae cognitio cum accurata Graecae linguae et antiquitatum notitia summam Camerario laudes promeruit<sup>u</sup>. Valde ideo illum extollit aequus meritorum literis partorum iudex AVG. THVANVS<sup>v</sup>, eo quod *post perceptam*

utri-

p) ADAM. Vir. Medic. p. 77. THOM. CRENI-  
VS de singularibus script. §. 5. p. 16. TEISSIER.  
l. c. p. 217. q) ADAM. Vir. philos. p. 258.

r) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 493.

s) Bibliograph. polit. p. 21.

t) Vid. TEISSIER. l. c. T. III. p. 14. CRENIUS  
l. c. §. 52. p. 64. Meth. comp. erud. T. III. p. 2.

u) Ad a. 1574.



utriusque linguae exactam notitiam, non solum ad bonos auctores interpretandos tam poetas, quam oratores et historicos, sed etiam in solidioribus philosophiae, mathematicarum artium et postremo theologiae studiis multa commentatus esset. Succinunt de egregiis eius in rem literariam veterum, etiam philosophicam meritis virorum doctorum elogia, collecta a TH. POPE-BLOUNTIO<sup>u</sup>, IACOBO THOMASIO<sup>w</sup>, aliis<sup>x</sup>, qui videndi. Illud vero non praetermittendum hoc loco est, non neglexisse quidem Camerarium more sui temporis Aristotelem, inque eo interpretando doctissime operam posuisse, fauisse autem simul Platonico-Pythagoreae disciplinae, cuius mysteriis rimandis haud vulgariter infudavit, ut vel ex vno commentario in Nicomachi arithmetica constat. Iple vero satis luculenter, quae ei ista de re animus sit, explicuit, scribens<sup>y</sup>: *Peripatetica disciplina humanissima fuit, quae ad captum ingenii humani dignitatis ac virtutis praecepta accommodavit, neque veluti optando quid maxime quisque velle, deberet, collegit, sed quid consequi etiam posset, circumspexit. Stoici, ut ait Cicero, fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulere, ut cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. Itaque hi priora praeclara et luculenta opera eliminando videntur corrupisse, nam Academici certe cum Peripateticis sententia et dogmatis coniuncti earundem rerum diversa quodammodo explicatione usi fuerunt, ut aliter de aliis utriusque loquerentur. Epicurei vero quasi abortivum philosophiae genus gravitatem huius plane reliquerunt, et ad futilia quaedam ac vulgo nota probataque traduxerunt disputationes suas, expertes omnis eruditionis, Aristippi placitis arreptis, quae tamen ipsa alicubi corrupisse putantur et reddidisse molliora.* Ex quibus verbis apertum est, Camerarium in ea fuisse cum multis opinione, Academicos a Platonice verbis magis, quam re ipsa et doctrina dissentire. Alter ad quem prouocauimus, SIMON GRYNÆVS est, Sueuus, cuius vitam descripsit MELCHIOR ADAMVS<sup>z</sup>. Is ipse quoque interpretatione veterum philosophorum, Platonis, Aristotelis, Plutarchi aliorumque eam sibi eruditionis famam comparauit, ut inter doctissimos suae aetatis philosophos numeraretur, iudicaueritque magnus ERASMVS<sup>v</sup>, esse hominem Latine Graeceque ad vnguem doctum, in philosophia et mathematicis disciplinis diligenter versatum, nullo supercilio, pudore pene immodico. Quod cum maxime laudandum esse recte censeret PHILIPPVS MELANCHTHON<sup>x</sup>, hanc tamen maiorem eius laudem esse reputauit, quod non fastidierit doctrinam ecclesiae, sed semper ad philosophica studia adiunxerit lectionem prophetarum et apostolorum. Tales multos viros maximopere

Simon Grynaeus.

t) Cens. celebr. auct. p. 590. p. 376 seqq. w) Prolegom. in officia Ciceronis.  
 u) Praefat. L. XXV. p. 487. x) l. c. p. 118 seqq.  
 v) Морноф. Polyhist. T. I. L. IV. c. 8. §. 4. p. y) L. XXVI. ep. 39.  
 808. VOSSIVS de scient. mathem. c. LXV. §. 14. z) L. I. ep. 68.



eruditos et praeter literaturam Graecam et Latinam omnem veteris quoque philosophiae notitia insignes, qui interpretatione philosophorum vetustorum ipsam philosophiam iuuare fategerunt, seculum XVI protulit. Qualium ingeniorum cum ferax illa aetas esset, factum inde est, ut laetissimis incrementis resurgens philosophia vteretur, magnisque opibus auferentur philosophantium ingenia.

*Ipsa philosophia sua incrementa promouet.*

§. XIII. Ipsa porro philosophia, quae tempore emendatae ecclesiae, ex exilio rediit, messem suam maturauit, suisque adiuuit viribus, ut melius coleretur. Nempe cum sub regno Scholastico ingenia etiam acuta et polita, situ obducta hebescerent, quia ratiocinandi facultatem mali commatis ars sophistica, quam pessima illa dialectica tradebat, corruperat, pulso hoc spectro paulo melior comitiorque rationalis artis usus postliminio rediit, coeperuntque viri docti accuratius rationes inire, deponere praecipua, errores conuellere, principia cum conclusionibus accurate connectere, et intelligere, quid distent aera lupinis. Quem in finem veterum philosophorum serinia excussa sunt, et liberiori animo ad philosophiae augmenta inde collatum est, quicquid inferuire posse scopo huic visum erat. Id quod eo facilius fieri potuit, quo iucundius erat, atque honestius veteris eruditionis praesidia ad philosophiam afferre, cum is maxime doctus crederetur, qui in studio antiquitatis Graecae Latinaeque maxime versatus esset, pristinaeque in hoc quoque eruditionis genere barbariem cuperet pellere. Tandem ipsa quoque fratrum ignorantiae caterua, inuita licet et praeter opinionem philosophiae elegantioris restitutionem promouit. Quamuis enim faeuissimis persecutionibus in reformatores, ut doctrinae sacrae, ita literarum et philosophiae fureret, et igni ferroque, vel ubi tam crudeliter non poterat, fulminibus, calumnia quin et fannis et dicteris insaniam proderet, ut tam laudabiles conatus suppressum iret: ita tamen oleum modo camino adiecit, et delirante pseudo-philosophiae indole prodita, quoscunque pectus forte animusque rectus animauerat, incitauit, ut eo audentius contra irent, ipsaque scientia et philosophia quoque sui vindicias fumeret. Quod cum nemini ignotum esse queat, qui literariae ciuitatis historiam callet, hoc loco, ubi ad alia transendum est, exemplis non illustramus. Vna Reuchlini historia infra nobis accurate enarranda, rem in luce clarissima ponit, plura vero exempla dabit, quae sequetur tractatio.

*Scholastici promouent philosophiam cultiores.*

*Ordo tractationis sequentis.*

§. XIV. Et hac quidem ratione, hisque ex causis factum est, ut ingruente noua purioris doctrinae luce, repurgataque ab innumeris mendis ecclesia, philosophiae quoque pulchrior redderetur facies, quaeque prius squalida et neglecta oberrauerat, honestiori cultu quasi postliminio suo restitueretur loco. Ab isto tempore, dici non potest, quanta philosophorum seges effloruerit, et humanae sapientiae studium variis modis sit auctum et amplificatum. Nec errabimus a vero, pronuntiantes, plus prae-



praestitisse in philosophia excolenda seculi XVI et XVII et imprimis nostrorum temporum diligentiam, quam reliquam aetatem omnem, nec habere vel barbaros vel Graecos quod cum nostri seculi ea in re fertilitate et felicitate queat comparari. Luculentis id exemplis euincet, secuturae tractationis argumentum, quod philosophiae fata ab ineunte seculo XVI vsque ad praesentem aetatem, (quantum quidem ad illos philosophos attinet, qui hac vitae scena decesserunt) plenius enarrabit. Facile autem aequus Lector coniciet, integram et specialem recentioris aetatis philosophiae historiam a nobis expectari non posse; eo quod innumera fere sint, quae in singulis philosophiae partibus ingens, qui recentiori tempore succreuit, philosophorum numerus praestitit: quae enarrare omnia, esset singularum scientiarum philosophicarum specialem condere historiam, non vero generales philosophiae annales exponere, quem nobis solum terminum laboris nostri finemque posuimus; rati, et ex aliorum lucubrationibus in his sacris versatum, et imprimis recentioris historiae literariae probe gnarum haurire posse, quantum sufficit<sup>a</sup>; et hoc operae vix ab vno scriptore praestari posse, cum singularum disciplinarum philosophicarum diuitiae, quas nostro aevo sibi acquisuerunt, tantae sint, vt integras tractationes facile compleant. Nobis cum constitutum sit vniuersalem philosophiae historiam tradere, satis pro instituti scopo erit, philosophiae mutationes, emendationes, sectas, systemata celebriora, quaeque alia sunt, sine quibus eius fata intelligi non possunt, accurate exponere, magnorum philosophorum, qui plurimum vel ad reuocandas veteres sectas, vel ad condendas nouas contulerunt, acta enarrare, systematum et opinionum causas et rationes eruere, et imprimis libertatis philosophandi humano generi tandem aliquando restitutae historiam scribere, eaque seligere, quae et momento haud carent, et singularia atque memorabilia sunt, et in historia philosophica negligi vel ignorari haud possunt. Dabimus tamen per singulas quoque disciplinarum philosophicarum classes eorum notitiam, quae memoria digna sunt, quibusque potissimum adiutum est philosophiae studium.

§. XV. Omnem vero totius philosophiae recentioris campum vno quasi lustrantes oculo, eam vel sectariam fuisse, vel eclecticam, comperimus. Aut enim certam quandam sectam elegerunt philosophi, et vel veteres Graecas resuscitarunt, vel nouas et peculiare condiderunt, vel certo modo philosophandum esse definiuerunt: aut abiecto omni auctoritatis praeciuicio noua dare philosophicarum scientiarum systemata, nullius in verba iurantes, nullius opinioni addicti, selectis ex omnium hypothefibus

*Recentioris  
historiae  
philosophi-  
cae generalis  
διατάξεις.*

O 2

illis

<sup>a</sup>) Praestantiores scriptores historiae singularum disciplinarum philosophicarum indicant STRVVI: Bibliotheca philosophica, recentissimis virorum doctorum ACKERI, COLERI, LOTTERI, KAHLII obseruationibus aucta, et viri

πολυμάθετον GOTTL. STOLLII Historia literaria. Qui libri cum in omnium manibus sint, consuli facile possunt et debent, nec iis hec quicquam addendum est.



illis opinionibus, quas veras esse credebant, annisi sunt. Illud praesentis Tomi argumentum erit, hoc sequente enarrabitur. Omne vero philosophantium secundum sectae viam, agmen in Aristotelico-Scholasticis, et reformatos philosophos dispeisci potest. Tam altas enim radices philosophia Scholastica egit, tamque arctis nexibus cum theologia complicata est, et vtilitati certorum dogmatum *νομιών* adeo affinis, vt magna pars, praecipue theologorum in Romanae ecclesiae coetibus, duce Thoma Aquinate, et Ioanne Scoto philosophari in tanta literarum et melioris philosophiae luce non erubuerint. Quos quae causae impulerint, quibus emolumentis in hoc Augiae stabulo detenti fuerint, quare puriora lumina non secuti sint, prouidus et attentus Lector facile ex illis ipse coniciet, quae in *antecedente Tomo* de philosophiae Scholasticae natura, indole, effectibusque prolixè differuimus. Quae tamen causae non potuerunt impedire ingentem magnorum virorum cohortem, non ex iis solummodo, qui secessum facere ab ecclesia Romana coacti sunt; sed ex ipsis quoque eius coetus sectatoribus, quo minus infausto huic fideri nuntium mittentes ad meliora et elegantiora deflecterent, quae et solidam cognitionem darent, et naturae recessus felicius panderent, et animum a morbis intellectus atque voluntatis securius liberarent sanarentque. Quam sibi metam ponere et ratio iubeat, et tot, quae in Scholastica philosophia se prodebant, absurdum suadebant, cum experientia doceret, isto monstro nec veritatem iuari, nec humanae mentis cognitionem augeri, nec errores debellari, innumera vero damna scientiis inferri. Et haec quidem rectè statuisse viros doctos fatendum est: ast cum via esset detegenda, qua securius rectiusque ad hanc metam properare liceret, ibi plerisque aqua haesit, incertis, quid deterioribus substituerent. Nimirum facilius semper fuit deuia agnoscere, erroresque perspicere, et quid desiderandum sit, quid extirpandum, quid reiiciendum, intelligere, quam emendationis rationem modumque assequi, et meliora suppeditare, quibus euitatis istis scopulis ad portum sine offensa tendere queat humana cognitio. Id quod plurimis exemplis sequens tractatio faciet manifestissimum, luculenterque docebit: Id quod imbecillitati intellectus humani tribuendum est, qui, vbi morbos suos videt, medelam tamen difficulter haud raro inuenit. Patet id ex modo, quem reformaturi philosophiam omnem tenuerunt viri doctissimi, qui seculo XVI et XVII vixerunt. In duas enim partes valde inter se diuersas diuisi dum philosophiam iuuare satagunt, in nouos labyrinthos incidunt. Vna pars inepto praeiudicio decepta, ita fontes philosophandi omnes exhaustos esse, putabat, vt nouum quid afferri nequeat, nec aliter philosophari nos posse, nisi electa certa, quam sequamur, secta, iudicabat. Hoc philosophorum genus de suis viribus, licet sine iusta causa, desperans, cum nonnullis optimum ingenium obtigisset, nihil suo Marte tentare ausum est, viamque nondum tritam perhorruit: Graecos itaque philosophos duces sibi eligens, et ex hoc nume-



ro vnum antesignanum deligens, Graecanicam philosophiam restauravit et recentiorum inuentis auxit et ornauit. Id quod valde promouit Graecae linguae, quod seculo XVI egregie floruit, studium, Graecarumque antiquitatum cognitio, de quibus viri isti eruditissimi pulchre merebantur. His enim fulcris nixi ad lectionem philosophorum Graecorum se accingebant, versiones meliores, quam quae pristino tempore obtinuerant, conficiebant, et ex his fontibus systemata veterum philosophorum Graecorum eruebant, rati, commode satis se philosophari posse, si Graece philosopharentur, id est Graecanica dogmata amplecterentur.

§. XVI. Nemo vero in hoc Graecorum philosophorum delectu meliore fortuna vsus est, quam Aristoteles. Is dudum et a multis iam seculis toti orbi literario infausto iugo grauis fuerat, et tyranni instar imperauerat, reliquis philosophis Graecis contentis et neglectis; eo euentu, vt ineptum plerorumque animos occuparet praeiudicium, inter philosophos iudicii acumine doctrinaeque veritate et philosophandi accurratione vnum Aristotelem reliquos omnes multis modis antecellere. Hac opinione cum regeretur orbis Scholasticus, ex quo viri docti prodierunt, qui ineptam illorum hominum docendi viam reiecerunt, non damnandam esse Aristotelis philosophiam cum Scholasticis ineptiis, sed ad verum vultum reuocandam emendandamque iudicarunt. Nec tamen sefellerunt viros acutos et magna eruditione conspicuos errores physiologiae et theologiae naturalis, siue metaphysicae Aristotelicae; eos vero velut naeuos aliquos non obstare putarunt, quo minus corpori cetera pulchro honore haberetur, facileque illas erroneas Aristotelis opiniones emendari, rectiora eorum loco constitui, vel a noxis quoque et suspectis sibi cauere posse crediderunt. Quibus euitatis nec meliorem et ad differendum de sapientia quauis aptiorem philosophandi rationem esse, Peripatetica statuerunt, et scientiarum omnium aedificia his fundamentis superstrui posse existimarunt. Ita vero se seruire Aristoteli, quod in Scholasticis vehementer culpaerant, minime perspexere, persuasi libertatem philosophandi se tenere, si alios philosophos veteres interdum consulerent, et ex illorum systematibus illa decerperent, quae facile cum Peripateticis in concordiam redigi possent. Cuius rei exemplum valde memorabile exhibet PHILIPPVS MELANCHTHON<sup>b</sup> vir summus, quem Scholasticae philosophiae acerrimum hostem fuisse, in antecedentibus demonstrauius. Is enim fateri non erubuit, *Aristotelis philosophiam eam esse, qua tuto omniumque optime philosophaturi vti possunt.* Dabimus verba eius, vt de mente eius Lector ipse iudicare valeat. Ita vero: *Eruditam philosophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullae res subsunt. Ideo dixi vnum quoddam philosophiae genus eligendum esse, quod quam minimum habeat sophisticas, et iustam methodum retineat: talis est Aristotelis doctrina.* Sed huic

*Aristotelis  
philosophia  
sincera resti-  
tuta.*

O 3

tamen

b) Declamat. T. I. de vtilitate phil. p. 333 seqq.



tamen aliunde addenda est illa praestantissima philosophiae pars, de moribus coelestibus. Nam reliquae sectae sunt plenae sophisticae, et absurdarum et falsarum opinionum, quae etiam moribus nocent. Nam illae hyperbolae Stoicorum sunt omnino sophisticae, bonam valetudinem, opes, et similia non esse bona. Commentitia et ἀπίσθητα, falsa et perniciose opinio de fato. Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat, omnia casu contigisse: tollit primam causam, et dissentit in totum a vera physicorum doctrina. Fugienda est et Academia, quae non seruat modum et sumit sibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere student, hos necesse est multa sophisticè collegere. Quamquam is, qui ducem Aristotelem praecipue sequitur, et unam quandam simplicem ac minime sophisticam doctrinam expetit, interdum et ab aliis auctoribus aliquid sumere potest. Ut enim Musae cum cantu certassent cum Sirenibus, easque vicissent, ex pennis earum coronas sibi fecerunt; ita et in sectis, et si una maxime probanda est, tamen interdum ex aliis aliquid veri decerpamus, quo nostra sententia exornetur. Quibus verbis satis luculenter exprimit, qua ratione eclecticè philosophandum esse putet, nempe ut alii philosophi faeces Aristoteli submittant. Ex quibus explicandum est, quod alio loco magis speciose et ex vero disserit: Nolo philosophando quenquam nugari, ita enim fit, ut communis etiam sensus tandem obliuiscare. Sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae, tum ad mores formandos attinentia. Inprimis hic eruditione Graeca opus est, quae naturae scientiam uniuersam complectitur, ut de moribus apposite ac copiose dicere queas. Plurimum valent Aristotelis moralia, leges Platonis, poëtae, atque ii sane, qui et optimi sunt, et in hoc legi possunt, ut animos erudiant, Homerus Graecis fons omnium disciplinarum, Virgilius ac Horatius Latinis. Haec Melanchthon, qui Aristotelicorum sinceriorum post reformatas literas recte princeps atque dux inter Germanos habetur, et innumeros ea in re discipulos habuit: idque potissimum in Scholasticis ferre non potuit, quod homines hi, libidine ingeniorum siue amore litium ducti inciderint in Aristotelem, eumque mancum et lacerum, et qui alioqui Graecis obscurus, καὶ τρυφώδης similis videtur, Latine sic redditum, ut etiam Sibyllae furentis coniecturas exerceret. Huc tamen, addit, incauti homines impegerunt, sensim neglectae melioris disciplinae, eruditione Graeca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri coepta. Hinc prodire Thomae, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, et reliqua proles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quod non solum contemti veteres studio nouorum, sed omnino, si qui in eam supererant aetatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, ut dubites, num alia re argutiarum auctores plus nocuerint, quam quod uerba tot millia veterum scriptorum ad interuersionem usque aboleri passi sunt. Hac, quam Melanchthon fouebat, sententia de Aristotele a

Scho-



Scholasticis vindicando sibi et orbi philosophico restituendo, tempore susceptae emendationis ecclesiae occupabantur magni viri, ipseque Melanchthon in causa fuit, ut posthabito Lutheri de Aristotele iudicio, Stagirita tamen, licet emendatus, obtineret. Haec vero causa est, cur inter philosophos seculi XVI tot viros magnae eruditionis summaeque fama liceat cernere, qui philosophiam non ex spinetis dumetisque Scholasticorum, sed ex Aristotelis nemoribus exstruxerunt, lectisque et accurata interpretatione excussis obscuro philosophi scriptis veram eius mentem eruere explorareque sunt conati, quos Aristotelicae philosophiae interpretes rectius, quam philosophos dixeris. Hos intelligimus nomine Peripateticorum genuinorum, eo quod veram et domesticam Peripati doctrinam, explorato Aristotelicis Scholasticorum adulterino, restituerunt. Ex hac classe multi infra occurrent viri summi, et Romanensium et Protestantium coetibus addicti, qui Graecae linguae et antiquitatis artis criticae, quibus ornamentis valde delectatum est seculum XVI, praesidiis adiuti in explicando Aristotele puro nativoque vultui restituto haud infeliciter defudarunt, quamvis in philosophia ob hoc studium sectarium tantum non praestiterint, quantum praestare poterant, si hoc iugum virili conatu excussissent, abiicissentque auctoritatis et antiquitatis praeiudicium.

§. XVII. Non placuit omnibus Aristotelis philosophia, videruntque nonnulli magnos errores, et naevos deformes, qui illam occupabant. Ausi itaque a magna philosophantium turba secedere, in ipsa via aberraverunt, rati, non aliam philosophiam sequendam esse, quam sectariam. Ad sectas igitur Graecanicas reliquas diuerterunt, quas vel casus obtulerat, vel praeiudicia commendauerant, vel inclinatio animi suaserat, quamvis raro ratio subesset, nec de eligenda sententia institueretur consultatio. Ita ad eum ipsum lapidem offensus, ad quem impegerunt veteres, quos ideo reprehendit ORIGENES<sup>4)</sup>, cuius verba recentioris quoque philosophiae fata eleganter adumbrant: *Quis eorum, qui se contulerunt ad philosophiam aut forte fortuna sectae alicui deditus, aut a magistro inductus, aliter se ad eam applicat, quam si credat illam praestantiorum ceteris? non enim expectat, donec auditis omnium philosophorum opinionibus earumque varietatibus, tum singularum adstructionibus aut subuersionibus, ita demum electionem faciat, Stoicusne malit fieri aut Platonius, an Peripateticus, Epicureusue aut cuiuscunque sectae philosophicae: sed ratione quapiam, aut potius, etiamsi hoc inficientur, impetu feruntur ad exercendam disciplinam.* In hoc vero Graecanicarum sectarum studio sine accurato delectu suscepto Pythagoreo - Platonica secta ipso refuscitatae philosophiae initio nonnullis magnis ingeniis valde se commendauit. Quam seculo XV in Italiam a Graecis exulibus delatam Mediceae gentis patrocinio fixam sibi sedem acquisuisse supra enarrauimus; cuius docto-

*Aliae Graecorum sectae excultae.*

4) Adu. Celsum p. m. 10.



doctores cum audiissent viri nonnulli docti, eam inter Germanos Gallosque propagauerunt. Exiguo tamen tempore durauit hoc philosophandi genus, vel quod obscurus Pythagoras diffususque Plato videretur, neruisque carere crederetur, eorum philosophia, vel quod syncretismus Platonico-Peripateticus, qui caput iterum attollebat, eam mature supprimeret, Aristotele more suo ex hac concordia victoriam reportante. Seculo tamen XVII inter Anglos magni quidam viri in Oxoniensi academia Platonicum philosophandi genus reuocauerunt, quorum rationes causasque, quibus adducti Platonicos Peripateticis praetulerunt, infra afferemus. Videtur tamen Platonica philosophia in causa fuisse, vt nonnulli ad Parmenidem deficerent, vel quod luculentius eum de naturalibus philosophari putarent, quam Platonem, spectris magis et vmbriis, quam principiis solidis in physica animos pascentem, vel quod odio Aristotelis, cuius principia notionesque vagas, incertas, falsas fastidiebant, ducti meliorem partem, quam eligerent, non haberent. Certe haec ratio valuit, cum Ionicae philosophiae systema naturale ex cineribus a nonneminem reuocaretur, quamuis impietatis esset suspectum. Nempe hoc pacto ostendendum erat, licet detestabili errore nonnunquam scateret physiologia Ionica, peius tamen errare Aristotelicam, quamuis omnis erroris atque periculi expers haberetur. Et ex hoc Peripateticae disciplinae contemptu Stoicae quoque philosophiae, praecipue quae de moribus et officiis praecipit, resuscitatio exorta est. Adeo enim ethicae Aristotelicae sterilitas nonnullos offendit, feueriora et maiora, quam quae ciuilem quandam felicitatem tangerent, postulantes, vt tristem Stoaе rigorem et austeritatem Aristoteli ad aulae mores eleganter composito, illique ethicam suam attemperanti praeferrerent. Qua ratione veteris philosophiae feueritas restitui coepit, licet Cynicos mores ipsumque nomen omnes perhorrescerent. Ipsa porro Epicuri philosophia a tot seculorum contemptu et maledicentia vindicata est, assertusque Gargettio philosopho honos, postquam vetus illud, quod eius famam prefferat, praecudicium euiluit, inuentusque est magnus seculo XVII philosophus, qui, Epicurea philosophia nouo lumine collustrata, eiectisque impiis erroribus atomisticum systema in naturalem philosophiam introduxit, tantaque felicitate et ingenii acumine ex illo rerum naturalium mytheria explicuit, vt suo magis nomine, quam inuisa Epicuri appellatione eius physiologia se multis commendaret.

*Secessus, quem  
alii a philosophia  
Graecanica fecerunt.*

§. XVIII. Neque tamen omnium omnino hominum oculos ita caligasse censendum est, vt non intelligerent, sectariam philosophandi rationem humani intellectus naturam non decere, libertatique, ad quam honesta ingenia nata sunt, esse contrariam, illosque qui vnus philosophi, licet magni et acuti, sensa simplici obsequio recipiunt, interpretes magis esse philosophorum, quam ipsos philosophos; parum autem ista philosophandi ratione veritatem iuuari, naturam cognosci, et animum emendari posse.



ri posse. Recte id perspexerunt praestantissima ingenia nonnulla, quae probe viderunt, nullam sectarum Graecarum ita veritatem omnem fuisse affectam, ut vni illi fidere, eiusque systema integrum recipere liceat; obseruaruntque, quamuis nulla secta sit, quae non veritates quasdam viderit, ipsius tamen doctrinae aedificii structuram veritati non inniti, nec istis *Φιλοσοφούμενοις* veri fitienti animo fieri fatis. Nouam itaque viam tentandam, meliusque philosophandum esse, recte statuerunt. Verum quod multoties euenire videmus, ut qui viam ante non tritam tentant, in deuia abripiantur, rectamque semitam non inueniant, id in hac quoque re accidisse fatendum est. Quidam enim cum perspicacia insolita vni omnium sectarum errores, difficilesque, quibus earum affectae implicarentur, labyrinthos detexissent, incertitudinem veri intellectusque humani imbecillitatem accusantes et ad academiam mediam et Pyrrhonis castra deficientes, Scepticismum veterum, reuocauerunt, eumque in finem reductis in lucem Academicorum et Pyrrhonorum obiectionibus, illustratisque et vulgatis eorum scriptis; et accurate enarrata historia vel omnem profus scientiarum certitudinem, vel tamen philosophicarum disciplinarum in dubium vocauerunt. Qua in re quamuis prudentius, quam veteres Sceptici agere sibi constituerent, quicquid tamen obiectionum ingenii acumen et subtilitas, vel foecunda quoque imaginationis inuentio suppeditabat, magna alacritate exposuerunt, et omnium philosophorum placitis innumera obiecerunt dubia. Quod cum impietatis quandam suspicionem apud alios excitauisset, et dogmatici quoque atro colore scepticismum denotarent, laudabilis scopi excusatio praetensa valdeque commendata est Academicorum modestia culpata dogmaticorum superbia, iactatus ingens Scepticismi vsus, quem in fidei mysteriis corroborandis habet; eo quod depressa rationis auctoritate, ostensaque incertitudine, et obiectionum numero, fides triumphare, saluaque esse religio, et quod nonnulli quoque intendebant, ecclesiae decreta possint, neglectis aduersariorum telis, quae ex philosophiae pharetris vibrabant. Immo Scepticismo velut ense quodam tecto nonnulli vsi sunt, quo in viscera Peripateticae philosophiae altius penetrarent, et quam leuis sit illa philosophandi ratio ostenderent. Ex altera parte nonnulli, quibus philosophia Graeca displicuerat, ad Iudaeos dilapsi sunt, apud quos cum arcanam quandam philosophiam deprehendi audiuissent, magna sibi mysteria promittentes, auide Cabbalisticam philosophiam excolere rimarique coeperunt. Quam cum nec intelligerent, nec amare possent alii, Mosen potius scriptis suis cosmogoniam explicantem sequendum esse statuentes, philosophiam quandam Mosaicam excitauerunt, vel oraculorum diuinorum scaturigines philosophiae quoque causa nobis patere statuentes, philosophiam Christianam commenti sunt. Quin et alii altius, quod sibi persuadebant, rem exorsi, meliusque sapientes, Mosen, scripturam, Cabbalam



iam et ingenii sui somnia in vnam massam confusa, velut philosophiam aliquam theosophicam mundo obtrudere conati sunt. Quod quam malo euentu, magnoque ecclesiae et orbis philosophici detrimento factum sit, dici vix potest. Abiecto enim et rationis et reuelationis principio, cum internum aliquod lumen creparent, et huic fundamento vano et incerto mira hypothesium aedificia, enthusiasmo vicinia, et ad eum prona via ducentia inaedificarent, rati pulchre magis pieque quam ipsam scripturam de rebus diuinis et humanis se praecipere; ingens disciplinarum confusio exorta, et intolerabilis syncretismus inter theologiam, philosophiam, et medicinam, tot monstros imaginationis corruptae et desipientis, grauis et detestabilis introductus est, quo, quae et natura sua, et obiecti conditione et principio cognoscendi diuersissima sunt, admixtis miris commentis nugisque velut theosophia quadam conciliata inter se et coalita incautis vendita sunt. Cum tamen oculos mundus aperiret, difficiles nugae Siculasque gerras nullo labore vidit et contempas habuit. Aliam itaque philosophantium concordiam ineundam esse facile persuaserunt sibi illi, qui indignabantur quidem, somnia nobis et imaginationis deliria pro philosophia quadam diuinitus edocta tradi: nouum tamen iter ingredi non audebant. Hi sectas Graecas facile inter se conciliari, sicque in toto syncretismo et pace inter dissentientes facta, vnam quandam philosophiam erigi posse, quae veritates vel omnium sectarum, vel quarundam contineret, opinati sunt, sicque mire veterum placita vel inter se, vel cum Christianis quoque mysteriis composuerunt. Quo tamen remedio tantum abest vt laboranti sub iugo sectario philosophiae medela allata sit, vt potius malum augetur. Pestilenti enim isto syncretismo, qui semper veras philosophandi rationes corrumpit, euerfa vera sectarum sententia, ineptae opiniones obtrusae, tenebras inter et lucem pax inita, omnisque veritatis cognitio multis modis impedita est. In tanto itaque philosophantium dissensu, totque labyrinthis cum verum non inueniri, tantisque moliminibus parum iuari, animum eius sitientem cernerent nonnulli, omnem prorsus philosophiam reiecerunt, et a falsis et ineptis philosophandi modis et generibus malo ratiocinio ad ipsam philosophiam concludentes, eam efficiendam prorsus esse, et captiuandam rationem sub obsequium fidei contenderunt, et sic, cui lucem dare non poterant, oculum lippum coecumque, prorsus eruerunt abieceruntque, omnium pessime de philosophia meriti, cui cum reuelatione amice conuenire, vnus, ex quo ratio et reuelatio fluxit, fons abunde demonstrat.

*Restituta philosophia ecclesiastica.*

§. XIX. Indignandum sane humani generis conditioni est, quae veritatem, quae omnis felicitatis fundamentum esse debet, tam incertis viis sectari, nescio quae fati necessitas coegit. Miserta tamen hominum per tot opinionum syrtes iactatorum, totque naufragiorum miseriis infelicitum diuina prouidentia, oculos tandem magnis quibusdam viris aperuit, qui iudicii



iudicii acumini atque ingenii solertiae ingentem simul iunxerunt animum. Probe erat perspectum viris his acutissimis, nec sectariam philosophiam veritatem ex ratione cognoscendam satis detegere, nec reliquos labyrinthos, quos ab illa discedentes extruxerant, filum nobis ostendere, quo ex illis egredi liceat. Non iniusta vero eos occupabat fiducia, fore, ut cum Graecarum sectarum auctores proprio Marte nouam sibi philosophandi viam quaesiuissent, abiectoque omni auctoritatis praeiudicio ex aliorum opinionibus ea sibi tantum delegissent, quae placuissent, reliqua vero ex proprii ingenii fundis et meditatione sua adiecissent; ipsi quoque ratione non destituti, nec attentione et quaerendi studio carentes, multis vero, quibus veteres caruerant, subsidiis instructi, meliorem philosophandi viam detegerent. Eiurarunt itaque laudabili consilio praeiudicia, examinatisque philosophorum veterum et recentiorum placitis, notatisque errorum fontibus et causis, verum a falso seligere, et quid probandum, quid reiiciendum sit, dispicere coeperunt. Illa vero, quae placuerant, cum pauca essent, ipsi principia scientiarum philosophicarum excolentes, adhibita accurata ratiocinatione et meditatione veri fontes ostendere, deriuare conclusiones, experientiam iungere, sicque noua philosophicae doctrinae aedificia construere saterunt, posthabito omni sectae affectatione et studio. Et hac quidem ratione illa postliminio humano generi restituta est felicitas, qua omnia quidem sectarum capita et conditores gauisi sunt, quam vero inuidit sectatoribus docentium ambitio, et discipulorum timiditas ac obsequium, per tot vero secula captiuam tenuere superstitio et praeiudicia prorsus indecora. Nempe post tot seculorum sectariam philosophiam eclectica tandem philosophia caput seculo XVII extollere, et vindicare humani intellectus dignitatem coepit. Quanquam enim, quae in Aegypto obtinuit philosophia, eclecticae appellationem sibi vindicauerit, suo tamen loco accurate demonstratum est, nomen eam illud non meruisse, nec prudenti veritatum per singulas sectas sparsarum electione, sed inepto et detestabili dogmatum toto, quod aiunt, coelo inter se diuersorum conciliatione philosophiam minime emendasse, corripisse autem et deformasse. Nostro itaque aeuo haec felicitas seruata est, quam restituere tentarunt magis, quam valuerunt, Hieronymus Cardanus et Iordanus Brunus Nolanus, primus vero philosophiae sobriae vindex, fauente Numine apparuit magnus Verulamius. Qui non contentus vlcera receptae philosophiae tetigisse, meliora ostendit, et quamuis nouae philosophiae systema non condidisset, quo pacto tamen plerarumque scientiarum philosophicarum mysteria recludi possent, exposuit, animumque ista philosophandi libertate viris doctis addidit, ut intentatum iter sine duce proficere auderent. Ab eo tempore non defuere orbi philosophico viri summi, qui ingenii acerrimi solertia et animi magnitudine, quibus gaudebant, vsi, philosophiam elegantiori habitu et nitidioro vultu in theatro hoc mundi collocarunt, quorum tamen auctoritatem et eruditionis



opinionem interdum sectario studio nouas vires addidisse merito dolendum est. Haec vero emendatio philosophiae non modo ad vniuersum eius complexum relata est, sed et singularum disciplinarum philosophicarum partes reformatae sunt. Cum enim paucissimis datum esset, vniuersae philosophiae campum renouare, certum tamen tractum suis studiis purgare conati sunt. Et hac quidem ratione tum in rationali philosophia multa immutata, et imprimis dialecticae Aristotelicae nouae inuentiones surrogatae sunt; tum naturali philosophiae parti alia prorsus et venustior facies data, mundique systemata alia et verifimiliora cusa, totque experimentorum fide naturae arcana detecta sunt, vt in hac vna scientia plus praestitisse seculum XVII et XVIII censendum sit, quam omnis philosophantium aetas. Rarissimo enim exemplo, cui par non habuit antiquitas, ingens eruditorum numerus in eo studio incomparabili conspirauit, vt mutuo labore atque diligentia naturae mysteria detegerent, initaque societatum philosophicarum communione naturalem philosophiam promouerent: reges autem atque principes, digna tanto eruditorum studio aemulatione, nec sumtibus nec fauore pepercerunt, vt honestissimi conatus ad maturitatem quandam perducerentur. Ita vero factum, vt in toto philosophiae ambitu, nulli parti maius studium tribueretur, quam philosophiae naturali. Fecit tamen haec physicae felicitas, vt ingenia ad excolenda quoque reliqua philosophiae capita excitarentur. Hinc et metaphysicae pars nobilissima, quae de Deo et spiritibus agit, insignes mutationes passa est, et ciuilis philosophia praecepta vidit veteribus incognita: emendandae autem voluntatis formandorumque morum institutiones nouae passim sunt exhibitae. Maxime autem nobilissima philosophiae practicae pars, quae de officiis tradit, exulta est, cumque tenuia quaedam, et ineptis fundamentis nixa Stoici tantum praecepissent, noua disciplina, quae iuris naturalis fundamenta explicat, inuenta est, qua quid homines debeant, quid ciues, quid familiae deceat, quid singulos homines, quaeque iura gentes inter se obligent, definitum est. Et hoc quidem pacto ita mutata atque emendata philosophia est, vt, si comparetur cum seculis prioribus, veterem philosophiam recentiori multis numeris cedere, sit pronuntiandum. Ex qua breui historiae recentioris philosophiae *σύνοψις* luculenter patet, quam ampla nobis tractationis materies suppetat, et quibus capitibus recentioris philosophiae fata enarranda sint. Nempe exponenda nobis historia est Aristotelico-Scholasticorum recentiorum, et Aristotelicorum genuinorum; hisque iungendi, qui philosophiam Pythagorico-Platoniam, Parmenideam, Ionicam, Stoicam, Democritico-Epicuream renouauerunt. Porro emendationes philosophiae non tacendae, quas Sceptici, Mosaici, Christianae philosophiae assertores et theosophici afferre tentarunt. His vero addendi syncretistae, hostesque philosophiae. Et ista quidem hoc tomo enarrare, sicque primam recentioris philosophiae partem hoc fasce complecti animus est. Altera pars sequenti tomo eclecticae philosophiae tum generalis tum specialis complectetur historiam, et appendicis loco exoticam quoque philosophiam contemplabitur.

CAPVT